



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniae, 1611

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)



Th. 4999

~~1~~

1

7

PETRI
VENERABILIS
ABBATIS CLVNIA-
CENSIS; ILLVSTRIVM
MIRACVLORVM
Libri II.

ACCESSERVNT SELECTIO-
*ra quaedam ex chronicis fratrum or-
dinis Prædicatorum editis à*

R. P. M. ANTONIO
SENENSI.

Lib. Coll. Soc^{ti}. Iesu Paderborn. a^o. 1611.



Lib. Coll. Soc^{ti}. Pader. Anno 1611

COLONIÆ,
Sumptibus Bernardi Gualteri.
AMNO M. DC. XI.

VENERABILIS

ABBATIS CLAVNIENSIS

CELESTINI

MIXCULONVM

1511

RECEPIT

IN

CON

ANTONIO

1511



COLONIA

1511

1511

EPISTOLA

avidus, nunquam satur, ubi se
 materies aliqua meriti ad gra-
 tia nutrimentum præbebat. Si-
 ue publicam; amabatur in illo
 non minus coniuncta cum pru-
 dentiâ oportuna simplicitas,
 quam suspiceretur cum huma-
 nitate authoritas, cum do-
 ctrina integritas è vultu lu-
 cens, quibus ille, dum Ecclesiæ
 nauicula sub annum reparatio-
 nis nostræ centesimum quadra-
 gesimum secundum supra mil-
 lesimum procellis hæresum, &
 schismatum quateretur, tantum
 ad laboravit & cōsecutus fuit,
 ut pro meritis affici nunquam
 possit, nisi ei, præ cæteris sudo-
 rum & periculorum socijs, op-
 timam laudis & gloriæ portio-
 nem adiudicemus. Testantur
 hoc

DEDICATORIA.

hoc duo Volumina aduersus
Heinricianos, & Petrobusia-
nos, impugnantes baptismū in-
fantium: Liber vnus de Conuer-
satione Eremiticâ. Alius de æ-
tatis suæ reuelationib⁹ & visio-
nibus. Item Sermones, quos ad
Fratres habuit, sanè elegantes.
Codex Epistolarum ad diuer-
sos: Et deniq, alijs prætermis-
sis, duo hi de Miraculis, quæ o-
mnia caelesti zelo, cum ad ex-
tirpationem falsorum dogma-
tum illius temporis, tum verò
ad Ecclesiasticæ & Monasticæ
disciplina restitutionem con-
scripsit. Sed quoniã haud secus
seculo nostro, atque elapsis sa-
piunt, proferendos censui è pe-
nario ipsius duos ultimos de
Miraculis, & in Corona spiri-



EPIST. DEDIC.

*tualiū conuiuarum Tibi potif-
simum R. Domine, apponendos;
primū, ut eorum gustu ama-
ritudinem curarum temperes,
quas pro incolumitate reliquo-
rum Monasterij membrorum
sorbere consueuisti, deinde etiā,
ut tui ergā me amoris, cuius
soliditatem noui, incrementū
experiar. Vale uelim. Colonia
Augusta Vbiorum Idibus Sept.
M. DC. X.*

R. F. T.

addictissimus

Bernardus Gualteri, Ciuis
& Bibliopola Colo-
niensis.

D. PETRI CLV-
NIACENSIS ABBATIS
VVLGO PETRVS VENE-
rabilis dicti, Libri primi de
Miraculis

PROLOGVS.



V M inter Spi-
ritus Sãcti cha-
rismata gratia
miraculorũ nõ
paruam obti-
neat dignita-
tem , vtpote
quæ tantam in se continet utilita-
tem, vt maximè per illam & mun-
dus ab infidelitatis tenebris libe-
ratus , & æterno lumine veritatis
donatus fit, & adhuc in multorũ fi-
delium cordibus, quibus aliquandò
hoc videre datur , per eam fides au-
geatur, spes crescat, veritas confir-
metur, indignari sæpè soleo , cur ea
quæ nostris tẽporibus proueniunt,
cũ non sit qui ad illa scribenda ani-
mũ applicet, quæ prodesse legenti-

DE MIRACVLIS

bus manifestata poterant, infructuoso silentio tecta dispereant. Vnde quoniam nullum adhuc nisi me cogere poteram, malui quolibet stilo ea aggredi, non pauens de presumptione tantæ rei iudicari, & ut antè à quodam dictum est, ad tam vtilem rem explicandam, me magis esse volui quàm neminem. Et ne diu suspensum lectorem teneam, à digniori parte incipiens, quæ de corpore Domini moderno tempore re facta miracula ad me peruenire potuerunt, narrare incipiam.

EXPLICIT PROLOGVS

CAPIT

CAPITA LIBRI
primi.

- I. **D**E miraculo quod in Auernico territorio contigit.
- II. De quodam presbytero diuina mysteria indignè tractante.
- III. De illo qui Dominicum corpus retinere non potuit, nisi prius facta confessione.
- IV. De obitu fratris cuiusdam, & ad ultimum facta confessione.
- V. De alterius cuiusdam ficta confessione.
- VI. De illo qui per veram confessionem liberatus est à diabolo.
- VII. Quomodo demones aqua benedicta fugati sint.
- VIII. De Gerardo pura & simplicis vita monacho.
- IX. De his qui in Clunisco vel circa contigerunt.
- X. De Stephani, qui blaucus dicebatur, apparitione mirabili.
- XI. De simili apparitione Bernardi qui grossus dicebatur.
- XII. Quanta semper inuidia diabolus contra Cluniacum fremuerit.

A S

De fra-

INDEX CAP.

- XIII. De fratre quem sub Abbatis specie decipere voluit.
- XIV. De illo qui demones audiuit flagitia sua iactantes.
- XV. Quid B. Hugo narrauerit in capit. vigil. natiuit. Domini.
- XVI. De fratre qui demones vidit quasi religiose incedentes.
- XVII. De Algero sene religioso.
- XVIII. De Armano nouitio quem diabolus in specie urfi perterruit.
- XIX. Quod angelus locum ubi fratres defunguntur, cruce Christi signauerit.
- XX. De illo qui moriens albatonum multitudinem vidit.
- XXI. De Turquillo priore Maciniacensium sororum.
- XXII. Miraculum quod in eodem Maciniacensi monasterio contigit.
- XXIII. De defuncto milite, qui ter apparuit cuidam presbytero.
- XXIV. De Guidone Gebennensi Episcopo.
- XXV. De quodam presbytero terribiliter mortuo.
- XXVI. De Gaufrido Sinemurensi Domino.
- XXVII. De milite mortuo qui apparuit Humberto Beliocensi.
- Item de apparitione cuiusdam in Hispania.
- LIBER



LIBER I.

DE MIRACULO QVOD IN AVERNICO TER- ritorio contigit.

CAPVT I.



RAT in Auernico ter-
ritorio rusticus qui-
dam habens aluearia,
in quibus examina a-
pum melleam fauo-
rum dulcedinem con-
ficere solent. Quas
iam dictus rusticus aut euolare, aut
emori, aut aliquo casu sibi deperire
pertimescens, vsus prauo sortilegorum
consilio, qui diabolica operatione, etiam
de beneficijs Dei, maleficia facere con-
sueuerunt, & (quod est dictu intolera-
bile) ipsis quoque diuinis sacramentis
per artes magicas abutuntur, accessit
ad Ecclesiam, & sumpto à sacerdote (vt
mos est Christianorum) corpore Do-
minico, illudque ore retinens, nec glu-
tire volens, vt iam doctus fuerat, ad v-

num de iam dictis aluearibus, in quo apes continebantur, accessit, atque foramini quod in eo erat ori adaptato, sufflere coepit. Nam dictum sibi fuerat, quod si corpore Domini ore retento apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moteretur, nulla recederet, nulla deperiret, sed omnibus integrè conseruatis, de augmento fructus multò amplius quàm ante gauderet. Fecit igitur vt dictum est, & ore applicito, flatum ad interiora toto conatu mittebat. Cumque auidus lucri anhelitum protrahens vehementer sufflaret, ipso linguæ & aëris impulsu, iactum Dominicum corpus, iuxta vas illud ad terram corruit. Cum ecce omnis illa apum multitudo de intimis egressa, ad corpus Domini sui reuerenter accurrat, atque in morem rationabilium creaturarum de terra subleuatum, habitaculis suis cum multa veneratione, homine illo conspiciente, induxit. Quod cernens homo, aut negligens, aut parvipendens quod acciderat, ad alia agenda ad quæ domestica cura eum vocabat, gressum conuertit. Sed dum iter ageret, repentino; & (vt ipse post narrabat) intolerabili timore turbatus, se nequiter egisse, tandem mente sanior cogi-

cogitare coepit. Vnde compunctus, immo vi interna compulsus, mox retrò pedem tulit, atque in vindictam sceleris sui apes, quarum vitam opere nefario cōseruare voluerat, superiniecta multa aq̄e violentia, enecauit. Quibus extinctis, dum intima fauorum, quos sibi recondere & cōseruare volebat rimaretur, ecce (mirabile dictu) conspicit corpus Dominicum, quod ex eius ore lapsum fuerat, in formam speciosissimi pueri veluti cum recens nascitur immutatum, inter fauos & mella iacere. Ad quod miraculum vt dignum erat, stupefactus intremuit, sed quid inde agere deberet aliquandiu hæsitans, hoc apud se inuenit consilium, vt eum in manibus accipiēs, ad Ecclesiam deferret, & quia sibi exanimis videbatur, nullo sciente solus Deum puerulum tumularet. Quod dum aggressus esset, eumq̄e in manibus sumens ad Ecclesiam quasi secreto tumulandum portaret, subitò ab indignè ferentis manibus inuisibiliter ereptus, disparuit. Quæ nuper gesta, ipse quidem ita per ordinem proprio presbytero, presbyter autem suo Claramontensi Episcopo, ille verò mihi, ego quoque omnibus istud legentibus scri-

Iniuria dominico serpori facta etiam hic punitur à Deo. bendo intimare curavi. Nec verò tanti piaculi ex toto in posterum dilata vitio fuit, sed in breui locus ante populosus, vario casu habitatore pereunte, in solitudinem redactus est.

De quodam Presbytero diuina mysteria indignè tractante.

CAPVT II.

ITEM in teutonicis partibus presbyter quidam, dum religiosam agere vitam videretur, & penè quotidie sacramissarum solemniam celebraret, dumque sibi minus cautè prouideret, hostis antiqui insidias incurrit, & iam turpem sed occultam peccati foueam, carnis delectationem delapsus est. Sanctimoniam namque quandam dum in primis gratia visitationis adiret, ad postremum assiduitate colloquij, & incauta familiaritate allectus, miserabili casu in illam incurrit. Qui cum post lapsum ad ad cor redire, & quam cito resurgere debuisset, proprijs secibus delectatus, diu conuerti distulit, & peccatum peccato adiungens, vsum peccandi fecit, sicque longum funem quo arctius stringeretur, assidue

pec-

peccādo contexit. Cumque in luto scelerum volutaretur, non verebatur tamē ad altare Domini irreuerenter accedere, & sacramenta redemptionis nostræ, missam frequentius celebrando, temerare. Quod cum longo tempore abiecto Dei timore agere non formidaret, iram pariter & misericordiam Domini, vt subiecta declarant, erga se mirabiliter persensit. Nam cum & scelus non desereret, & sacra diuina impuris manibus (vt sæpe dictum est) attrectaret, contigit quadam die dum vsque ad perceptionem sacri corporis Christi, totam de more missam explicasset, iamque se ad sacramenta ipsa sumenda pararet, repente caro Christi cum sanguine, tam immundum vltra non ferens habitaculum, ab ipsius iam penē tenentis manibus euauit. Admirans ille & obstupescens, ab altari citissime missa finita recessit. Cumque indignationem Domini, tam euidentis signi ostensione, circa se commotam agnosceret, volens tamen hoc certius comprobare, secundo missam aggressus est. Cui vniuersa vt prius peragenti, cum ad sumenda sacramenta ventum esset, simul omnia vt prius subtracta sunt. iam verò vt dignum erat

rat in metum & trepidationem non
 modicā perductus, vt de toties repetito
 miraculo iam absque vlla hæsitacione
 certissimus redderetur, tertio quoque
 quod iam bis contigerat, attentare ve-
 nitus non est. Sed cum omnibus vt ante-
 peractis, iam sollicitior quæ apposita e-
 rant oculis obseruaret, & manibus con-
 trectaret, osque ad sumendum aptaret,
 subitò oculis, manibus, & ori, tertio in-
 uisibiliter sublata disparuerunt. Tandem
 igitur tam euidenti miraculo tremefa-
 ctus presbyter, se pessimè egisse, seque
 terribilem iram Domini incurrisse abs-
 que vlla dubitatione cognoscens, cor-
 mutauit, & qualiter euadere à tanto peri-
 culo posset, sollicitus cogitare cœpit.
 Vltimum ergò precantibus remedium
 poenitentiam esse sciens, ad eam toto
 corde confugit, & proprium Episcopum
 adiens, ei cuncta quæ fecerat, quæque
 contigerant, cum multis lachrymis pa-
 tefecit, impositumque sibi ab eo labo-
 rem penitendi, toto animi nisu tā deuo-
 tē quam constanter exercuit. Ieiunijs nā-
 que & vigilijs, verberibus etiam & varijs
 cruciatibus, iumentum lasciuiens, hoc est
 corpus suum, secundum Apostolum, ca-
 stigans, qui concupiscentias suas sequen-

do reprobus factus fuerat, eas in se ipso damnando, electorum numero adiungi laborabat. In qua corporis ac cordis contritione multo tempore emenso, cum eius mentem de venia praesumere securior iam conscientia suaderet, adiit Episcopum, & quid egerit indicans, vtrum vt ante consueuerat ad sacra accedere auderet, consuluit. Qui nondum plenè Deo reconciliatum metuens, vt adhuc poenitentiae insisteret, admonuit, quatenus dignis poenitentiae fructibus Deo exhibitis, purgator & securior, congruo tempore altaris sacramenta nõ ad iudicium sed ad salutem percipere posset æternam. Acquieuit ille salubri admonitioni, & ad propositum poenitentiae reuersus, tota carnis ac spiritus virtute, ad fores diuinæ pietatis pulsabat, & spiritu contribulato lachrymisque indeficientibus, iram Domini in misericordiam conuerti cogebat. Quid multa? Longo rursus temporis spatio in hac poenitudine transacto, ad Episcopum redijt, ei que vt patri secreto cuncta pandens, vt sacramentorum esse particeps mereretur, humiliter deprecatus est. Cuius conuersionem iam Deo acceptam tam ex his quæ ab eo audierat, quam

quam

quam ex his quæ in eo videbat confidens, vt sacerdotale officium aggrediretur, assensit. Quod ille de Domini bonitate & conscientie testimonio confusus, non iam præsumptione sed deuotione implere curauit. Accedens itaque ad altare totumque se lachrymis & contritioni cordis immolans Deo, vsque ad perceptionem sacramentorum vniuersarite peragens, peruenit. Et ecce nouo & inaudito nostris dumtaxat seculis miraculo, trium ante dictarum missarum panes qui indignè sumere volenti sublati fuerant, cælitus allati sunt, eoque iam diuino iudicio adhuc sumenda digno facto, ante eum super altare positi apparuerunt. Cumque etiam oculos in calicem admouisset, conspexit penè vsque ad summitatem sanguine repletum, & illarum missarum detrimenta ad istius prouenisse augmenta. Admirans igitur & toto hominis interioris iubilo Deo gratias agens, suamque poenitentiam susceptam ac Domini maiestatem placatam agnoscens, certus factus est de Domini misericordia, & qui vnum apposuerat, quatuor panes, immò vnum Christi corpus & sanguinem cum multa vt dignum erat, exultatione percepit. Hoc quo-

que
sco
rin

De

S

mu
ata
rela
git
infa
qua
vici
cur
vita
cum
que
ad
vt e
rien
bere
cep

LIB. I. CAP. III.

quoque præfatus Claromontensis Episcopus mihi retulit, in pœnitentia plurimorum.

De illo qui Dominicam corpus retinere non potuit, nisi prius facta confessione.

CAPVT III.

SED & illud quod apud eundem locum de re simili contigit, silendum non est. Erat ibi iuuenis mundanæ vanitati deditus, & vt in illa ætate homines solent, voluptati frena relaxans. Cui cum diu deseruiret, contigit eum super quadam mirata muliere infamiæ nota aduri. Cumque per aliquantum temporis hac suspitione apud vicinos quosque teneretur, accidit vt incurreret tantam ægritudinem quæ de vita eius homines cogeret desperare. Qui cum lecto decumberet, & iam iamque morti proximus fieret, inuitatus est ad eum more Ecclesiastico presbyter, vt eius confessionem susciperet, & ei morienti viaticum salutis humanæ præberet. Cum verò venisset, hortari eum coepit & cōmonere instanter, vt peccata
sua.

sua confiteri non erubesceret, crimen-
 que illud vnde specialiter infamatus
 fuerat, salubri confessione manifestaret.
 Acquieuit ille, & confiteri scelera sua
 studiosè aggressus est. Quod dum ex-
 plessit, & rursus super præfato crimine
 a presbytero interrogaretur, mentitus
 est, dicens se inde nullatenus reum esse.
 Cumque presbyter diutina hominis in-
 famia, suspitione actus, ab inquisitio-
 ne non desisteret, ait ille: Sic (inquit)
 hoc Domini corpus quod attulisti ad
 salutem suscipere merear, sicut huius
 rei quæ mihi obijcitur aliquando cul-
 pam non incurri. Hac presbyter respon-
 sione credulus redditus, Dominicam
 ei communionem iam securus tradidit.
 Qua ore suscepta, glutindi virtus ægro
 protinus ablata est. Nam cum paulò ante
 quibuslibet etiam grossioribus cibis fa-
 cilis esset ad ima descensus, hoc paruis-
 simum corporis Christi fragmen, non
 dicam stomachum, sed nec etiam guttus
 vel paululum attingere potuit. Hoc sen-
 tiens ille, niti quantum potuit coepit, vt
 illud glutire valeret. Quod dum mul-
 toties conaretur, & frustrari semper
 suos conatus cerneret, coactus ipsa glu-
 tiendi impotentia, iuxta lectum quo
 decum-

decumbebat illud expuendo proiecit. Cuius rei euentu valdè territus, presbyterum qui discesserat ad se reuocari rogauit. Redijt ergò presbyter, & infirmum reuisens, cur se reuocasset quæsiuit. At ille spiritu Dei agente compunctus, confessus est se malè egisse, se Deo mentitum fuisse, verumque quod ante negauerat, esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem & satisfacientem, is qui aduenerat presbyter intuens, compassus confitenti & mœrore confecto, cum vt moris est, absoluit, atque rursus Dominico corpore refecit. Quo suscepto, cum tanta illud libertate glutuit, vt verè tunc appareret, non casu sed virtute diuina, ne ante hoc suscipere posset, prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionē, & corporis Christi perceptionem paululum superuiuēs, in pace quieuit. Hoc non à duobus tantum aut tribus testibus didici, sed à Priore iam dicti loci, honesto & fide digno viro, & fratribus eiusdem monasterij, ac multis alijs, quorum quidam se hoc vidisse, alij à presbytero se audisse testati sunt. Et quia de confessione sermo incidit, quanta in ea sit animarum vtilitas, alio
adhuc

adhuc exemplo monstrare curabo.

De obitu fratris cuiusdam & ad vltimum facta confessione.

CAPVT IV.

AD monasterium sancti Ioannis Angeliacensis, quod in Xantonensi pago situm est, presbyter quidam Gilbertus nomine ad conuersionem venit, atque ibi per aliquantum temporis quoad vixit, deuotè conuersatus est. Contigit autem non multo temporaliter elapso, eum ex infirmitate quã incurrerat ad extrema venire. Cumque sicut mos christianorum est, & maximè monachorum in substrato cilicio & cinere, à fratribus compositus iaceret, atque horam vocationis suæ expectaret, fratres monasterij vt eius exitum orationibus commendarent venerunt, & eum vndique psallendo circumsteterunt. Qui cum vt defungeretur expectarent, ecce subito resumpto spiritu & apertis oculis, acclamare coepit professionem fidei quæ quotidie decantatur, hoc est, quicumque vult saluus esse, & cætera. Et cum prius idiota & imperitus litera-

cum

rum fuisse ab omnibus agnosceretur, ita distinctè & apertè singula proferbat, vt à nescientibus si fortè adessent, peritissimus in talibus extitisse crederetur. Qua de causa omnes qui astabant stupefacti, euentum rei admirabantur. Qui cum diu admirantes hæssissent, tandem Prior Gregorius nomine, cui præ ceteris hoc incumbebat, vir bonæ religionis intelligens eum aliquid in occulto vidisse, ad eum se inclinavit, & quæ causa clamoris esset, vel si quicquam quod eos lateret vidisset, iaterrogauit. Ad quod ille. Vidi (ait) personam reuerendæ formæ, candidi habitus & venerandæ caniciei, paulò ante vas cum aqua afferre, mihi que dicere. Noueris causam aduentus mei ad te hanc esse, vt pedes tuos qui inquinati sunt abluam, & eis ablutis totum te mundatum reddam. Cumque admirari me super his quæ dicebat cerneret, adiecit. Non nosti (ait) ad purgationem tui hanc aquam esse necessariam, qui tale quod ipse nosti crimen commisisti, quòd de industria cælans, nulli hæctenus reuclare voluisti? Vnde scias te nullatenus posse saluari, nisi

nisi quod perniciosè cælaueras, salubriter studeas confitendo manifestare. Deus verò multa sua misericordia, neque pro tanto etiam reatu te perire permittens, ad sensus corporeos te redire permittit: vt de tanto crimine confitendo pœnitere, & pœnitendo salutem consequi merearis. Hac igitur de causa & à vobis absui, & ad vos redire permissus sum. His ita dictis alijs remotis Priorem aduocans, peccatum illud ei confessus est. A quo huius & omnium peccatorum suorum absolutione suscepta sequenti die, prima hora diei, astantibus & orantibus fratribus, læto vultu, bono fine quieuit. Hoc non ab alio, sed à monacho eiusdem monasterij, Lecto nomine, qui hæc omnia viderat & audierat, agnoui. Hic enim postea Cluniacum gratia deuotionis veniens, scriptor noster & filius in Christo charissimus fuit.

(*)

Dial.

De alterius cuiusdam ficta confessione.

CAPVT V.

ERAT penè eodem tempore frater quidam in monasterio quod in Francia apud turrim super maternā sub iure nostro est, qui cura eiusdē loci commissa fuerat. Qui diuturnæ ægritudinis necessitate coactus, Rodulrum tunc abbatem monasterij Catalaunensis, propter medelam tam animæ quàm corporis, quarū ille rerum non ignarus erat, ad se venire rogauit. Ad quem ille caritate prouocatus venire non distulit: & veniens mox ægrū visitare curauit. Cumque non mediocriter eum grauari infirmitate cerneret: hortari eum ad confitendum cœpit. Quod ille se libenter agere professus: confiteri peccata sua, sed nō in simplicitate spiritus, aggressus est. Nam grauiora & mortifera stulto pudore reticens, quotidiana tantū & quæ leuia videbantur, timore Dei postposito fatebatur. Qua palliata confessione completa: corpus Dominicum sibi afferri deprecatus est. Quo allato & præsumptuoso ore suscepto, cum diu multumque illud traicere conaretur, nec yale-

B

ret.

16 DE MIRACVLIS

ret, cum vino quod susceperat frustra omnia comminuti corporis Christi in vas, quod ori eius suppositum fuerat, refundere coactus est. Hoc casu, immò diuino iudicio abbas qui aduenerat permotus, & ægrū non plenè confessione purgatum ratus, rursus eum admonere cœpit: vt si aliquod facinus reticuisset, vera sibi confessione reuelare non erubesceret. Qui & hortatu eius & diuino instinctu compunctus, ad cor reuersus est: & quidquid pestis intus latebat euomens, crimina quæ antè letali pudore celauerat, vitali & vera confessione non iam fictè, sed veraciter corde contrito & humiliato patefecit. Cumquæ omni fece iniquitatis per antidotum pœnitentiæ purgatus fuisset, & vera confessione per abbatem prædictum absolutionem meruisset: Eucharistiam quam prius reijcere compulsus fuerat, allatam deuotè suscepit, & absque vlla difficultate vt sanctissimus aliquis deglutiuit. Et vt de miraculo omnis dubitatio tolleretur, qui particulam corporis Christi quam deglutire non potuit, reijcere per frustra compulsus fuerat: post confessionem non solum corpus Domini, sed etiam cibos alios absque vllò

ullo impedimento suscepit. Sic igitur confessione, absolutione, Sacramenti susceptione frater ille in Domino confortatus: tribus postea tantum diebus supervixit, & sic defunctus est. Hoc ab eodem Radulpho abbate cognoscens, eundem legentibus vel audientibus communicare curavi.

De illo qui per veram confessionem liberatus est à diabolo.

CAPVT VI.

ADDENDVM iam mihi videtur, illud non contemnendum miraculum, quod ipse cum pluribus, vt sequentia docebunt, cōspexi. Causa fuit satis omnibus illius temporis hominibus nota: qua cum pluribus nostrorum Romam adij. Rediens inde Romanas febres satis acerbis mecum retuli. Pro quibus curandis fuit consilium, vt patrium solum & natium repeterem aërem. Ea de causa Celsinianas nobile Cluniacense monasterium petij: atque ibi totam Quadragesimam, longè molestiorem febrium ardoribus, quam ieiuniorum laboribus transegi. Interea dum in sequestrata domo, toto illo tempore

B 2

decum-

decumberem: ecce cuiusdam fratris infirmi in inferiori & proxima domo iacentis clamoribus penè continuis excipior, & de die in diem magis magisque molestor. Vociferabatur sanè in primis, quæcunque turbato morbis animo confusè occurrere poterant. Ad postremum verò hoc vñum semper & solum, absque aliqua interpolatione, toto annisu inclamabat: Et ò fratres, quare non succurritis? Cur non miseremini? cur non remouetis à me maximum & terribilem (vt verbo ipsius vtar) runcinum istum, qui posterioribus pedibus contra me versis, calcibus caput meum conquassat, faciem dissipat, dentes conterit? Remouete Domini, remouete eum: rogo vos per Dominum, remouete eum. Et conuersa voce ad eum, quem in forma equi conspiciebat, dæmonem cunctis audientibus loquebatur. Verba autem eius quantum imitari valeo, dicturus sum. Per Dominam meam sanctam Mariam matrem Domini: & per sanctos apostolos adiuro te, ne me torqueas: sed me in pace dimittas. Fuerat autem idem frater ante conuersionem miles secundum seculum strenuus, mihiq; in monastico ordine per multum tempo-

tempo-

temporis satis notus bonæ vir fidei: & in quantum hominibus notus esse poterat, honestæ conuersationis. Pertuli ut cunq̄ue voces has per totam ferè quadragesimam: quo toto tempore, nec ipse à clamore cessauit, nec mihi propter infirmitatis incommoditatem, eum audire facultas fuit. In huius autem clamoris continuatione, paschalis aduenit solennitas. Qua transacta, cum iam aiquantulum conualuissem, adhuc tamen æger ad ægrum accessi: & quid sibi in tam diuturna vociferatione vellet, requisivi. Ad quod ille respondit: Runcinus ille, ille certè, ille mihi intolerabiliter molestus est. Vultum meum assiduis ictibus conterit, & inter hæc ostendebat quasi digito locum: murum scilicet cui ipse adhærebat. Interea videntibus quam plurimis, qui mecum astabant, coepit caput huc illucq̄ue conuertere, & quasi à ferientis ictibus subducens, nitebatur illud in puluinarum vel desubtus abscondere. Miserabamur hominis angustijs, nihil aliud præstare valentes. Afferri itaque benedictam aquam præcepi, infirmum ipsum, & locum quem ostendebat eadem aspersi, post asperisionem verò, vtrum

*Manēte
in cōsciē-
tia mor-
tali pec-
cato Sa-
cramen-
ta non
pro sunt.*

Mat. xli.

dæmonem illum adhuc videret, quæ-
siui. Qui se illum & videre, & solita ab
eo pati denunciauit. Sed ne miretur
aliquis benedictæ aquæ asperione dæ-
monem non fugatum, agnoscat, tabe
interiùs latente, vnguenta exteriùs ad-
hibita nihil proficere posse. Tabem
autem voco letale peccatum, quod
quamdiu in interioribus cuiuslibet la-
tuerit, nullius exteriùs Sacramenti per-
ceptio ei prodesse poterit. Quod in præ-
cipuis Ecclesiæ Sacramentis, videlicet
baptismate, & corpore Domini, aper-
tè ostenditur. Si enim malitia inte-
riore manente saluare ista possent, nec
Iudas post acceptum cum alijs disci-
pulis corporis Christi Sacramentum
laqueo se suspenderet, nec Simoni
Mago iam baptizato Petrus diceret:
Non est tibi pars neque sors in sermone
istò. In felle enim amaritudinis & o-
bligatione peccati, video te esse. Sicut
enim Sacramenta fidei, ita & opera fi-
dei seruati Christus præcepit: vt in hoc
eodem baptismatis Sacramento agnos-
cere datur: quod institutor eiusdem Sa-
cramenti declarat. Qui enim dixit: ite
docete omnes gentes: baptizantes eos
in nomine patris & filij & spiritus san-
cti.

Et: ipse subiunxit: docentes eos serua-
re omnia quaecunque mandavi vobis,
vtrumque ergo mandavit, vtrumque ser-
uari voluit: neutrum sine altero ad salu-
tem sufficere posse monstravit. Sic æ-
ger iste & aqua saluari potuit aspergi
& tamen propter occultam (vt post ap-
paruit) peccati labem, non potuit à dœ-
mone liberari. Quod statim vt aduertis-
eum vt studiosè præteritam vitam suam
perscrutaretur, & siquid noxium maxi-
mè de grauioribus in ea recognosceret,
confiteretur, hortatus sum. Hoc postquã
concessit, remotis alijs & duobus tan-
tum mihi adhibitis, ante illum con sedi:
& cruciculam ligneam cum imagine
Domini, vt magis ad confitendum ani-
maretur: donec omnia consummata sunt
manu tenui. Confiteri ergo coepit: &
confitendo aliquamdiu processit. Et
quia multa infirmitas ordinem verbo-
rum eius aliquandò perturbabat, iuua-
bam eum interdum: reducendo ei ad
mentem, quæque animo occurrere po-
terant. At ille modico meo adiutorio
confestim resumpto ordine, quod coepe-
rat, exquebatur. Cumque plurima ex-
plicuisset, & iam ad alia explicanda per-

B 4

geret:

geret: ecce rursus auertere faciem & huc illucque conuertere, atque (vt iam dixi) sub puluinari aliquandò nitebatur abscondere. Cumque quærerem, quid ille incompositus gestus sibi vellet, ecce ait Domine: ille qui semper mihi adest runcinus solito acrius instat, & toto nisu calcibus deares, ac totum caput meum conterit. At ego. Insta ergò & tu frater: malignus spiritus est, impedire festinans salutem tuam: quem si perstiteris: vinctus. Mox ille ad propositum confessionis reuersus, deuotius quam cœperat confitebatur: nihil quod occurrere posset, tam de seculari quam de monastica vita præteriens. Cum ecce subito in ipso narrationis progressu, noua querela exoritur: & vox infirmi mecum loquentis ad nescio quem alterum dirigitur. Quid (inquit) me impedis? Quid verba mea intercidis? Aut dic quod dicere volo, aut me dicere sine. Cum verò interrogarem cui vel quare ista loqueretur, respondit: Astat capiti meo vir proflus incognitus, à quo omnia quæcunque malè gessi, narrari audio; Sic tamen illa memorat, vt me illa proferre non sinat: Vera quidem dicit, sed me ea volentem loqui impedit.

Ego

Ego & hunc dæmonem esse dicens, ne à proposito desistere, exhortabar. Ille autem denuò ad priora rediens, ad finem coepta perducere nitebatur. Sed mirum erat spectaculum cernere; quoties ille verba mutare coactus, nunc mihi peccata sua confitens loquebatur, nunc de dæmonibus aliquandò verbis, aliquandò verberibus os eius obturare laborantibus, conquerebatur. Quandoque namque runcinum sibi calcibus os contundere, quandoque assidentem capiti suo dæmonem verba interciderè, multò cum gemitu & suspirijs varijs fatebatur. Ferè enim (nisi fallor) quadragies hæc cõfessionis interruptio à dæmonibus facta est. In tantum pertinax hostis & more sibi solito humanæ perditionis avidus, mecum pariter & cum illo certabat. Productum est hoc nostrum prælium, ab hora diei prima vsque ad horam tertiam. Tunc planè hora illa qua maximè se hominibus infundere spiritus Dei solet: eiusdem spiritus auxilio vicimus. Vicimus nos inquam, sed rectius ille vicisse dicitur sine quo malus spiritus nunquam vincitur. Vicit certè nequam hostem diuina miseratio, & egregiam præteritæ vitæ suæ memoriam

B 5

atque

*Dæmonis
pertinacia
ad
impediendū
salutē
humanā.*

atque animositatem proferendi, fratri in extremis iam agenti concedens: perfectam ei purgationem per plenam confessionis satisfactionem largitus est. Et miranda, sed multo magis veneranda atque diligenda supernæ pietatis erga miseros affluentia, quæ ante fratrem istum mundo excedere non permisit: donec quod verè ob stare ei ad salutem æternam posset, per pœnitentiæ & confessionis remedia indulgit. Quantæ verò memoriæ in confessione fuerit, ibidem etiam tunc probavi. Dixit enim se ante plures annos altare benedictum cuidam fratri commisisse. Vnde hac occasione vtrum benè memoria vigeret, certificari cupiens: altare illud à fratre quem nominauerat perquiri feci. Quod post inquisitionem ab eodem cui commissum fuerat, mihi allatum est. Confessione ergò completa fratres aduocans: ægrum vt moris est, absolui: pœnitentiàmque pro eo fratribus, si ille defungeretur, indixi. Quam absolutionem multa cum deuotione frater ille suscipiens, crucem sibi à me oblatam supplex adorauit, atque salutiferæ passioni Domini animam corpusque suum intentissimè commendauit.

His

His omnibus expletis: coram cunctis tam monachis, quàm laicis qui astabant, interrogo: quid de runcino ille sæpè nominato, de quo toties questus fuerat diceret: vel si eum ad huc, vt prius, videret. At ille, quasi cum multo timore eleuans caput, & oculos velut iam iamque ferendus ad locum solitum dirigens; indeque ad alia vicina loca circumducens, subito gaudio obortis lachrymis ait: per animam patris mei non comparet. Cumque & de illo pessimo consiliario qui capiti eius tamdiu adhæserat, requirerem; etiam ad eundem locum vbi ante illum conspexerat, intuitum reflectens: & iste, ait, abscessit. Gratias omnes toto corde egimus Deo: qui saluat sperantes in se. Exinde verò studiosius eum obseruari, proprijs deputatis custodibus, mandauit. Nec fuit qui postea eum saltem in modico clamantem audiret: cum antea fratres in illa domo iacentes, eius fatigati clamoribus quiescere non valerent. Interrogatus frequenter à fratribus & etiam à famulis, vtrum aliquid illorum videret quæ prius viderat: nihil triste se videre, nihil prorsus molestiæ pati affirmabat. A me ipso de istis postea interrogatus: omnia sibi læta &

pro voluntate esse, respondit. Toto illo die cum subsequenti nocte postea superuixit, sequenti circa sextam in pace vitam finiuit: bonam spem salutis suæ & exemplum veræ poenitentiaë nobis derelinquens.

*Quomodo damones aqua benedicta
fugati sint.*

CAPVT VII.

QVIA verò in serie huius miraculi narraui, aquæ more ecclesiastico benedictæ asperzione, damones causa latentis peccati minimè effugatos: ad rem pertinere videtur, quid de eadem re in eodem Celsinienfi monasterio contigerit, in medium proferre. Venerat ad eundem locum infirmitate carnis urgente laicus quidam, & vt fieri solet monachico habitu à fratribus indutus, seculo renuntiauerat. Faciunt hoc multi etiam in extremis constituti, qui licet eorum quos nulla corporis molestia ad hoc impellit, laudem minimè consequi videantur: numero tamen monachorum si ex corde conuertantur, ante æterni iudicis oculos nullo modo excluduntur. Et quamuis maioribus meritis maius debeat & præmium:

*Monachicum
habitum
in extremis
suscipere non
est vituperabile.*

mium: nummum certè quem à prima hora diei in vinea domini laborantes meruerunt, ad vndecimam quoque venientes acceperunt. Nec enim præiudicat modus conuersionis deuotioni cordis: nec queritur apud Deum qua ex causa quisque conuersus, sed post conuersionem qualiter fuerit conuersatus. Sed nec quantitas diuturni vel parui temporis attenditur, vbi solus finis operum remuneratur. Susceptus ergò hoc modo iam dictus vir, & ad domum infirmorum delatus, per aliquot dies inter vitæ mortisq; confinia laborabat. Nocte itaque obitus sui diem præcedente, in lecto iacebat, & velut morte iam proximus à duobus famulis per vices sibi succedentibus custodiebatur. Et quoniam subsequens narrandi ratio eorum nomina proferri cogit, vnus ex his Stephanus, alter Oliuus dicebatur. Illa igitur noctis vigilia qua iam à nominato Stephano asservabatur, eundem sibi inuigilantem famulum æger ille vocauit. Qui cum ei astans quid sibi vellet quæsisset, qui sunt (inquit) rustici isti deformes & rostrati, quos huc confluere & paulatim totam hanc domum implere video? Ad quod cum famulus respondisset: Neminem in domo illa ha-

beri, se tantum cum socio ei excubare,
 admirans ille adiecit? Non cernis ait, te-
 tros homines omne iam huius domus
 spatium compleuisse, quorum horrenda
 species & rostris longissimis facies exacu-
 ta, terrorem mihi non paruum impor-
 tant? Tunc demum famulus intellexit
 (vt saepe postmodum ipse mihi narra-
 uit) non hominum, sed malignorum
 spirituum hanc esse frequentiam. Vnde
 alta voce socium Oliuum, vt surgeret
 inclamans, vas quod fortè cum aqua be-
 nedicta in proximo dependebat, fide
 plenus arripit, & sanctificatum elemen-
 tum hac illucque confidenter aspergens,
 omnia illius habitaculi loca infundit.
 Hoc dum faceret, clamare ille fortiter
 cœpit. Eia (inquit) eia, fac quod facis: in-
 sta, perurge aduersarios, quoniam ecce
 velut à facie gladij fugientes summa cū
 celeritate exire contendunt; & quia mo-
 ras patiuntur, in alterutrum impingen-
 tes, primos hi qui sequuntur, violenter
 impellunt. Quo ille audito, instare acri-
 ter, & aqua benedictionis, filios maledi-
 ctionis à domo excludere contendebat.
 Quibus penitus (ægro qui hoc solus cer-
 nebat testificante) exclusis, & ille à dæ-
 monum infestatione liberatus est, &

quar-

quantum ad similia valeat salutaris aque cum fide aspersio, demonstratum est. Die verò subsequuta, fratribus huius visionis relatione lætificatis, in bona confessione nouus ille monachus obiit, & in illa donum fuga susceptam à Deo conuersionis suæ deuotionem omnibus persuasit.

*De Gerardo pura & simplicis vitæ
monacho.*

CAPVT VIII.

IAM incidenter, sed necessariò his interpositis, ad proposita me reuer- ti assumpta principaliter materies cogit. Vnde illa quæ de magnifico & supercoelesti Christi corporis sacramento miracula adhuc dicenda sunt, ultra differenda non sunt. Fra- ter quidam cum honore nominan- dus, cum dulcedine recolendus Gerar- dus nomine, magni illius Cluniacensis monasterij, magnus & ipse vitæ merito monachus fuit. Hic à pueritia in cleri- cali habitu ad pedes memorandi sancti patris Hugonis educatus, virtutum eius
ima-

* *Al.*
exegit.

Ioan. 1.

imaginem multa ex parte in ipso expressam ostendit. Nam (quod non parum difficile est) in medio seculi constitutus, & in igne non adustus, iuueniles annos absque castitatis naufragio * euasit. Cogitantorum quippe lasciuam innato pudore abhorrens, maturis clericis siue monachis adhærebat. Quorum cohabitatione ad potiorem honestatis amorem informatus, ad Ecclesiastica quoque officia frequentanda & amanda, paulatim instituebatur. Vnde contigit vt optimo vsu cum etate sensim conualescente, tantum erga diuina amorem conciperet, vt præ cæteris virtutibus, hic arctius eius semper animum possideret. In his & huiusmodi studio toto penè adolescentiæ tempore decurso, à iam dicto beato patre Hugone in monachum susceptus est. Qui habitu religionis indutus, seculum se exuisse, bonis & propemodum perfectis actibus demonstrauit. Puræ & simplicis monachi vitæ, verè secundum domini dictum Israëlita in quo dolus nō est. Iniuriarum inuictam patientiam conseruabat, quem si irasci contingeret, paulò post iratum fuisse grauiter poenitebat. Nil simulare nouerat, sed qualis interiorius existerat, talem se exterius demonstrauit.

strabat. Ad os eius si accederes, statim quæ dico vera esse comprobares. Diuinarum rerum saporem quem à puero imbiberat, sic tenaciter conseruabat, vt eius penè vniuersa verba vel facta diligenter considerantibus, nil aliud quàm coelestè fragrantiam redolerent. Ecclesiasticis officijs ita deuotus insistebat, vt nec labor diurnus, nec requies nocturna eum in his aliquando reddere segnem valerent. Graue se incurrisse reputaret delictum, si vel somno coactus, vel cogitationibus aduocatus, de proluxa Cluniacensium psalmodia vnum saltem versum intermitteret. Cumque nihil psalmodi, nihil reliquorum officiorum os eius præteriret, intellectum quoque quem poterat dictis adhibebat, & Deo iugiter immolans sacrificium laudis, iuxta Apostolum spiritu & mente psallebat. Religiosa etiã in exterioribus strenuitate eleganter pollebat: cuius rei gratia in multorum prioratum administratione, & subditis utilis, & omnibus quibus innotescere poterat, carus erat. Obedientiæ singularis conseruator tanto eam affectu colebat, vt nefas duceret, si vel in modico nutum iubentis excederet. Expertus sum ipse magnam in hac virtute eius constantiã,

cui

cui cum sæpe graua & quæ alijs vix iniungere auderem, facillimè imponerem, alacriter iniuncta suscipiebat, & alacrius adimplebat. Romam quodam tempore pergens, illo alijsque iter meum comitantibus, Senam quæ de præcipuis Thusciæ urbibus est, hospitandi causa diuerti. Die sequenti maturius hospitari cupiens, ante lucis exortum iter arripui. Cumque iam duo ferè miliaria ex vrbe progressus peregissem, subito post nos vocem currentis equitis velut à longè audiui, eaque audita substiti. Qui cum ad nos se sustinentes peruenisset, insidias nobis in via à duce Conrado quorundam instinctu parari narrauit, eaque de causa reditum persuasit. Quo impetrato, ego quidem cum socijs retrò redi, Gerardum verò (quoniam promptior eo ad obediendum non aderat) ad dominum papam, exigente necessitate direxi. Recedens ille à nobis, nondum plene sex viæ (vt arbitror) miliaribus expletis, insidiantes incurrit. A quibus cōprehensus, rebus omnibus ablati ad deserta & prærupta montium violèter abductus est. Vbi in altissima turri conclusus, multa que incommoda perpeffus, postquam pericula carceris euasit, se aliquid propter
obc-

obedientiam passum fuisse, gauisus est. *No. de-*
 Super omnia verò salutarium altaris sa- *uotionē*
 cramentorum amorem, corpori virtutū *ad Sa-*
 suarum velut quendam verticem impo- *cramen-*
 fuerat, quo vehementi cordis annisu in *tum Et-*
 alta sublato, ipsa quoque cœli intima pe- *chari-*
 netrabat. Quis enim facilè referre valeat, *stia.*
 quàm claro ille fidei oculo Iesum Domi-
 num sub velamine sacramentorum nō
 velatum admirabatur, sed reuelatum
 contemplabatur? Nullam intellectui eius
 species exterior caliginem inferebat, sed
 velut cū apostolis in terra gradientē, cum
 beata virgine in cruce pendentem, cum
 Maria Magdalena à mortuis resurgentē,
 intuitu spirituali cernebat. Contulerat ad
 hoc sacri corporis & sanguinis Christi
 mysterium totam spem suā, & quotidia-
 na penè oblatione pro suis ac totius mū-
 di peccatis filiū patri sacrificans, se quoq;
 ipsū multa cordis deuotione & lachry-
 marū profusione pariter immolabat. Vi-
 deres eū assistentē altari, profundo plerū-
 que fletu totum concuti, verba singulti-
 bus interūpi, grauib⁹ pectus suspirijs vr-
 geri cerneret, vt intelligi daretur profus
 ab humanis alienatū, ad diuina subleua-
 tū, non tantū mente sed ipso penè corpore
 sic in cœlestibus conuersari, vt de illo
 etiam

Ioan. 6.

etiam à domino dictum videretur. Qui manducat carnem meam, & bibit meū sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et qui manducat me, & ipse viuit propter me. Et alibi. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quam vitā ne quis putaret temporalem, rursus ait: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Hs domini nostri promissionibus, vitā in his sese sumere certus æternam, insatiabili (vt sic dicam) auiditate, pane coelesti noster hic Gerardus inhiabat, & beatam animæ suæ esuriam, pastu quotidiano recreabat. Istis bonorū operum exercitijs à prima iuuentute ad ultimam vsque ferè senectutem perductis, tandem dignus habitus est, cui aliquid secretorum suorum dominus reuelaret. Quod in his corporis & sanguinis sui mysterijs idè singulariter agere voluit, vt & eorundem Sacramentorum veritatem ostenderet, & hunc de quo loquimur, non frustra in his spem suam posuisse monstraret. Vnde & animi eius affectionem sibi bene acceptam fuisse ostendit, quando eum congruente eius deuotioni miraculo, tam magnificè decorauit. Testis huius tam admirādi miraculi ipse est, cui vtiū credi debeat, vita
præ-

præcedens & finis subsequens declarat. Non tamen horum spontaneus relator extitit, sed à me secreto adiuratus quod prius quasi sub alterius nomine dixerat, sibi reuelatum fuisse indicauit. Et ne aliquis in corde meo scrupulus remaneret, licet de verbis eius simpliciter prolatis in nullo dubitarem, quod de visione aperuit, nominis Dei & Christianæ spei interposita testificatione confirmauit. Extorsit tamen à me prius secreti fidem; ut quoad ipse viueret, alto illud silentio cōseruari. Sed eo iam à vita præsentis morte carnis exempto, oportet ea propalari ad Dei gloriam, quæ ille dum vixit ad sui voluit cæleri cautelam. Habet in Cabilonensi episcopatu villa quæ bellus mons dicitur, ad ius Cluniacensis monasterij spectans, vbi in honore beatæ Dei genetricis & virginis est ecclesia, ob eiusdem singularem memoriam, singularem (ut à multis comperi) orandi dans gratiam. Sunt ibidem & domus parvæ paucis ad manendum monachis satis congruæ. Erat tunc ibi circa natalem domini iam dictus venerabilis Gerardus & studijs supra scriptis infatigatus instabat. Aduenerat circuncisionis dominicæ sacratus es, & ille nocturnis vigilijs deuotè expletis,

*Deuotio
ad sacra-
mentum
Eucha-
ristie
quid
prome-
uerit.*

tis, ad diurna se officia deuotius implēda parabat. Ventum est ad missam, & more suo vestibus sacris exterius paratus, interiorius spiritu & fide repletus, ad altare accessit. Cumque ceteris expletis ad canōnem peruenisset, & verba diuinis panis & vini substantiam in Christi carnem & sanguinem commutantia consummasset; paululum ante dominicam orationem fortē oculos ad sacra ipsa conuertit. Et ecce stupeo referens, formam quidem panis quem altari imposuerat non vidit, paruū verò puerulum manibus & brachijs more infantiae gestientem pro eo conspexit. Hæsit itaque conspiciens debito timore turbatus, & nesciens quid ageret, ad inusitatum & cœleste spectaculum tremens admirabatur. Legi olim quiddam his quæ refero simile, sed dignatio aliquid nostro micaculo voluit addere, propter quod nullum huic inueniretur æquale. Nulla enim ætas præterita hoc conspicerē meruit, quod nostris diebus auctor horum sacramentorum Deus Gerardo nostro videndum concessit. Nam dum hoc stupidus miraretur, conuertens oculos ad latus altaris, conspicit mulierem honestissimæ formæ, & vt intellectu conceperat, bea-
tam

tam semper virginem eiusdem Dei pueruli matrem, diligenti eum & velut materna custodia multa cum reuerentia obseruantem. Iuxta quam cernit angelici decoris virum, immo vt verè erat à Deo missum angelum, coelestibus sacramentis pariter cum illa astantem. Quantum in corde ista cernentis tunc lætus accreuerit timor, quàm multiplicatum fuerit gaudium, qualiter cor eius & caro eius exultauerunt in Deum viuum, nec ego scribere, nec ille mihi potuit referre. Additur adhuc inaudito miraculo testimonium angelicum, & eum quem altari videbat assistentem, audit sibi angelum dicentem. Verba ipsa mihi ab eo sæpè relata, nihil plus minusvè continētia, dicturus sum. Quid (inquit angelus) miraris? hic puer quem conspicias, cœlum gubernat & terram. His dictis, coelestis visio abcessit. Post hoc dum rursus oculos ad salutaria sacramēta reduxisset, infantem iam videre non potuit. Sed panis speciem vt prius fuerat, altari superimpositam vidit. Hoc tanto miraculo dignus habitus, & eodem Christi corpore quod conspexerat satiatus, missam supernæ gratiæ muneribus donatam ille Dei presbyter consummauit. Et ne fortè
venc-

venerandus vir tanta visione minus dignus ab aliquo fuisse putetur, quiddam non quidem huic miraculo simile, sed tamen non vile per hunc gestum, referendum esse videtur. Regebat aliquando, quod Niuernis habemus, Sancti Saluatoris monasterium sibi à sancto patre Hugone commissum. Orta est lis inter eum & quendam suum præpositum, pro qua, die agendi constituta, ad causam vterque conuenit. Affuit multitudo nobilium, clericorum, & monachorum non paruus numerus, vulgarium verò constipatio vniuersa replebat. Assedit prior Gerardus inter medios, reliqui eum vndique ambierunt. Venit & cum suis præpositus, contra illum causam acturus. Aderant electi iudices, qui vtriusque actione audita, litem iudicario ordine dirimerent. Rem de qua agebatur nulla nominare necessitas cogit, erat tamen ecclesiastica, multumque vsibus monasterij necessaria. Hanc ille quem dixi præpositus quoniam valde lucrosa videbatur, summo studio sibi vendicare conabatur. E regione Gerardus non acquiescebat, quoniam ad ius sibi commissum monasterij hanc pertinere sciebat. Data est Gerardo loquendi copia, & coram

cun-

cunctis qui aderant, vt religiosum decebat, causam suam aperuit. Qui postquā finem dicendi fecit, is qui ei aduersabatur falsa esse quæ ab eo dicta fuerant, exclamauit. Iussus post hæc à iudicibus venire, & ea quæ dixerat comprobare, propius accessit, & iterans quæ dixerat, cœpta temeritate se vera dicere confirmabat. Cumque instaret, rursus ei iudices præceperunt, vt secūdum morem regionis illud quod ipsi vocant gadium, rei videlicet ab eo probandæ argumentum, manu propria in eiusdem Gerardi prioris manu poneret. Qui velut ex bona cōscientia audacter gadium in manu eius ponens, ait: huius (vt dixi) rei ego testis sum, alijs quoque testibus vel duello id ipsum probaturus. Sed quia (vt scriptum est) falsus testis non erit impunitus, postquam hæc verba protulit, cunctis qui ad audiendam causam illam conuenerant cernentibus, resupinus ruit, & illicò expirauit. Tremefacti omnes surrexerunt, & rem à Deo iudicatam videntes, nihil vltra iudicare præsumpserunt. Nam quidam ex illis prius etiam miserum illum pro certo mentiri nouerant, plurimi suspicabantur, nec verò vniuersi pariter cognouerunt Deo hunc mentitum

Falsi testis punitionis mirabilis.

C

titum

titum fuisse, quem eius iudicio post pro-
 latum mendacium tam subito contigit
 interiisse. In hoc miraculo licet vltix
 mendacij diuina veritas magnificè cla-
 ruerit, cuius tamen meriti Gerardus vi-
 deri posset, iniuriam eius vindicando
 monstrauit. Manebat alio tempore in lo-
 co Cluniaco proximo, qui Altum iu-
 gum vocatur. Sumpsit autem idem lo-
 cus nomen ab altitudine, qua omnem
 circumiacentem terram transcendit. Est
 enim mons altissimus eleuatus in verti-
 ce montium: ipsas sæpè nubium globo-
 sitates, quando humida qualitate graua-
 tæ ad altiora conscendere nequeunt, sub
 se conspiciens, vnde & Italiae Alpes vide-
 ri, & maxima pars subiectæ Gallia possit
 ostendi. Elatus ergò multo in aëra spatio
 mons, & sylvarum densitate circumse-
 ptus, ventis inclementioribus continuè
 pateas, niibus diuturnis expositus,
 ascensu & descensu difficilis, popularem
 habitationem à se longè remouit, & re-
 moriora quærentibus nil vltra se quære-
 re sui solitudine persuasit. Vnde & mo-
 nachos tantum ad manendum suscepit,
 quos nec multos esse sui ariditate per-
 misit. Hunc locum Gerardus per diuer-
 sas mundi partes obedientia compellente

leate

lente diu fatigatus, circa finem vitæ suæ
 velut emeritus missione à me impetrata,
 suscepit. In quo cum paucis fratribus &
 ipsis Deum timentibus, diuinis operi-
 bus solito studiosius occupatus, oratio-
 ni insistebat, lectioni vacabat, frequenti
 sacrorum verborum collatione ad diui-
 num amorem vehementius se accende-
 bat. Sobrio victu contentus, si quid fortè
 in his aliquando deliquerat, parcitate
 præsentis expiabat. Curis omnibus mun-
 di huius exutus, tantò spiritualibus desi-
 derijs Deo fiebat propinquior: quantò
 ab humanis actionibus factus erat remo-
 tior. Ecclesiasticis officijs semper quidem
 (vt supra dixi) deuotus extiterat: sed
 tunc eis maximè totis mentis affectibus
 & corporis viribus, deuotissimus insiste-
 bat. Altaribus sacris penè iugiter assi-
 stens, illud suum totius mundi singu-
 lare præsidium, corpus scilicet & sangui-
 nem redemptoris, inenarrabili men-
 tis deuotione & quotidiana missæ cele-
 bratione super omnia percolebat. Diur-
 no tempore sic consummato, noctur-
 nas quoque vigilias obseruabat, & ne
 intempestiuè fratres surgerent, solli-
 citus providebat. Quas semper aut
 sæpè ipse præueniens, multam no-

*Nota qui
merean-
tur au-
dire cœ-
lestia.*

Etis partem lachrymis & orationibus exigebat. Quo tempore frequenter in eadem ecclesia voces cuiusdam cœlestis melodiz se audisse & mihi retulit, & quibusdam alijs qui postea id mihi dixerunt, narrauit. Nec mirum. Illorum enim est audire cœlestia, quorum aures dedignantur audire terrena. Tantò enim magis sensus humani, quæ supra se sunt percipiunt, quantò minus, his quæ infra sunt, dediti fiunt. Tali Gerardus certamine certans, tali vitæ suæ cursui indefessus insistens, tandem palmam victoribus debitam, brauium perseueranter currentibus promissum adeptus, beato in eodem loco sine quieuit. Qui à vita præsentis subtractus, vitæ se iam æternæ participem, nò multo post mortem suam elapso tempore, apertè monstrauit, & veram esse Apostoli sententiã qua dicit. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet; in seipso comprobauit. Nam quia (vt sæpe iam dixi) totam spem suam in corporis & sanguinis Christi sacramento, cum bonæ conscientiz testimonio collocauerat, ostensum est per eum iam defunctum aliud de sepe nominando Sacramèto miraculum, quo & spes eius non irrita fuisse probaretur, & fides

& fides audientium firmaretur. Nondū post obitum ipsius dimidius fluxerat annus, cum fratri cui dam, quem quia adhuc superest, nominare nolo, visio memoranda apparuit. Videbat, & ecce dæmon parui & nigerrimi æthiopis specie assumpta, lecto eius astabat. Qui portentosa deformitate terrorem conspicienti intentans, manuum formam per aurium foramina emittebat, igneam linguam de baratro putidi oris eiectam, in immensum protendebat, qua totum corpus fratres illius lingendo, se carnes eius prorsus consumpturum esse dicebat. Tremens ille ad aspectum dæmonis, nihil aliud quàm mortem iam iam quæ absumentus præstolabatur. Cumque intolerabili horrendæ visionis terrore turbatus nihil ultra remedij se habiturū speraret, ecce Gerardus constanti animo & splendido (vt frater ille affererat) vultu ei astitit, & æthiopem illum manibus comprehensum ad terram elisit, ac guttur nefandum viriliter pede compressit. Qui dum fortiter captivum hostem premeret, ille velut ex violenta compressione, nec nominandum caput ad instar magni cacabi inflans, lingua flammigera, quasi aratro terram proscinde-

ret, circumposita comburebat. Cuius spectaculi horrore iam penè extra se factum, prædictum fratrem Gerardus alloquitur. Vis (inquit) à dæmone hoc liberari? Ad quod cum frater velle se omnibus modis respondisset, adiecit ille. Si (inquit) vis liberari, perge ad abbatem, & vt quendam fratrem cui fabrile officium est ad se accersias, ei ex mea parte dicito. A quo sollicitè inquirat, vtrum aliquando de veritate corporis & sanguinis Domini dubitauerit, & quid ei ad tollendam eandem dubitationem ostensum fuerit, & qualiter fides eius illa reuelatione confirmata sit. Quæ postquam cogauerit, litteris mandare studeat, quoniam sicut fratri illi profuit hoc vidisse, ita multis proderit audiuisse. Placet enim Deo conuersatio fratris illius, nec pati voluit huiusmodi tentatione labores illius deperire. Hæc si abbati te dicturum promiseris, continuò ab hoc dæmone liberaberis. Quo rursus spondente, Gerardus dæmone in fugam compulso, fratrem ab eius infestatione eripuit. Qui à somno consurgens, postquam ad se redijt, tandem se verè mortem euasisse testatus * est. Pauci post hoc transierāt dies, & frater cui hoc ostensum fuerat ad

me ve-

* *Al.*
latatus.

me veniens, cuncta quæ supra retuli narrauit. At ego nullam adhuc fidem somnio præbens, de fratribus illius qui indicatus fuerat totus relatione pendebam. Quem ad me non nomine, sed artis ac vitæ indicio manifestatum accersiens, vtrum aliquid dignum memoria de corpore Domini vidisset, secretò quæsiui. Qui cum aliquãdiu velut peregrinatione * attonitus siluisset, me in virtute obedientiæ ne sibi ostensum verbum absconderet præcipiente, tandem vniuersa aperuit. Longo (ait) tempore super huiusmodi re antiquus hostis fidem meam tentando vehementer aggressus est, & penè ab stratu suo, nisi gratia Dei iuuisset, concussit. Quã tentationem multum & supra quam dicere possim mihi molestam cū diu tolerarem, & ea de causa, quantumlibet in religione laborẽ meum amisisse putarẽ, cumq; iam in desperationem labi me pusillanimitas cogeret, ad beatam Dei genitricem vltimam spem contuli, & vt à tanto malo miseram animam meam eriperet, totis animi visibus rogare coepi. Necdum ab inceptis precibus quindecim exacti fuerant dies, & ego ante maius altare maioris ecclesiæ mihi astare videbar. Super quod velut vnius anni puerulus re-

* *Al. in-
terrogatione.*

*Miraculum in
approbationem
Sacramenti
Euch.*

fidens, me ad se accedere præcipiebat. Cumque illi appropinquassem, ut panem sanctum, quem manu prætendebat, ore susciperem, admonebat. Quod ut expleui, adiecit: Accipe ait me, & in brachijs tuis per huius ecclesie spatium defer. Hoc ego licet cum multo timore aggressus, cum in manibus suscepi, & ab ipso altari vsque ad extremum chori exitum, multa cum reuerentia portavi. Ab illo die ita cor meum omni qua vexabatur tentatione vacuatum est, ut nec vestigiū in eo præteritæ conturbationis remaneret, fidemque salutaris sacramenti inconcussa stabilitate retineret. His à fratre illo auditis, ultra de visione dubitare non potui, quando sic in omnibus concordēs vtriusque reuelationis relatores inueni. Nam quicquid ille prior de fratre altero à Gerardo audierat, hic totum vltimus suo ipsius testimonio confirmabat. Cūque præcedens nihil de sequentis cogitationibus sciret, ac subsequens prioris visiones penitus ignoraret, alter alterius reuelatione penitus fidem fecit, quia & ille huius tentationes aperuit, & iste illum vera vidisse ex sua confessione omnibus patefecit.

De his

*De his qua in Cluniaco & circa
contigerint.*

CAPVT IX.

ILLIS quæ ad reuerentiam diuinorū sacramentorum, & ad confessionis veræ sinceritatem pertinent prælibatis, ad reliqua quantum ad morum ædificationem spectat, non minus vtilia, adiuuante nos domino transeamus. In primis verò visionibus siue reuelationibus defunctorum, quæ à diuersis cognoscere potui vt potero explicabo. Hæc enim nostris maxime temporibus frequenter prouenire dicuntur Nam & defunctorū effigies viuīs apparere, eiusque per sæpe multa vera atque probata nunciare, à quam plurimis & fide dignis viris affirmantur. Talium autem rerum narrationem non ingratis fore legentibus existimo, præcipuè illis qui futuræ vitæ amore præsentem fastidiunt, & ad illam recta fide ac pijs operibus peruenire contendunt. Horum nam quæ multa est recreatio & in præsentibus miserijs, in quibus quotidie ingemiscunt maxima consolatio, quando de patria à qua in hac peregrinatione exulant, & ad quam inhiante suspitant; aliquid quod eorum

C s fidem

fidem ac spem magis ac magis excitet, audiunt. Audiui de talibus multa à multis, in quorum narratione nullum temporis ordinem seruo, quia neq̄ illum ex natiūtum verbis apertè colligere potui, nec si potuissem seruare curauī. Quæ namq̄ue utilitas est in huiusmodi re nosse, quid prius quid rē posterius gestum sit, dum verè constet quod fuerit? Multò enim magis gesta temporum quàm tēpora gestorum inquirenda fecit. Videtur verò mihi congruum, vt de proximo incipientes ad remotiora pergamus, & idcirco ea quæ in Cluniacensi monasterio vel circa contigisse audiuius, primò ad medium deducamus. Est autem Cluniacense monasterium, religione, disciplina, seueritate, fratrum numerositate, omnique monastici ordinis obseruatio, toto penè orbe notissimum, singulare ac cōmune peccatorum refugium: per quod multa inferis damna illata, & regnis cælestibus quā plurima lucra collata sunt. Ibi innumeræ hominū multitudines, graues mundi sarcinas ab humeris suis abijciantes, suauī Christi iugo colla submiserunt. Ibi omnium professionū, dignitatum & ordinum personæ fastum luxūq̄; secularē, in humilem & pauperē monacho-

*No. de
monaste-
rio Clu-
niacensi.*

nachorum vitam commutauerunt. Ibi ipsarum ecclesiarum venerabiles patres, etiam ecclesiasticorum negotiorum onera fugientes, tutius quietiusque vivere, magisque subesse quam præesse elegerunt. Ibi contra spirituales nequitas indefessam lætamen & implacabile
 * quotidianas victoriarum palmas Christi * *Al.*
 multiibus præstat. Huius loci habitatoribus continua concertatione carnem *impacabile.*
 spiritui subiicientibus verè secundam A. *Phil. 2.*
 postolum Christus vivere est, & mori lucrum. Hinc effusa spiritualium virtutum nardo, impleta est tota mundi domus ex odore vnguenti, dum religionis monasticæ feruor, qui illo tempore penè refrigerat, illorum virorum exēplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur, Hispania, Italia, totaque Europa fatetur, plena monasterijs ab eis aut nouiter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis. Ibi monachorum collegia in morem cœlestium agminum per ordines suos Deo assistentia, cum alijs sanctarum virtutum exercitijs, diuinis laudibus die nocteque ita insistunt, vt de eis quoque à propheta dictum possit intelligi: Beati qui habitant in domo *Psalms.*
 tua Domine, in secula seculorum lau- 83.
 dabunt

dabunt te. Sed quid aliquas mundi partes enumerō, cum de nostro vltimo occidente vsque ad ipsum orientem fama hæc peruenerit, nec aliquem christiani orbis angulum latuerit? Hæc namque est vinea, hi sunt palmites, qui veræ viti Christo in hærentes, & à patre agricola purgati, secundum Euangelicam sententiam multum fructum afferunt. De hac vinea in psalmis legitur: Extendit palmites suos vsque ad mare & vsque ad flumen propagines eius. Quod licet de Iudæorum Synagoga ex Ægypto translata, & maximè de præsentī ecclesia dictum sit, nihil tamen obstat, vt & de hac Cluniacensi ecclesia quæ illius vniuersalis non inferius membrum est, intelligatur. Liberet hic diutius immorari, sed quoniam ad propositum opus hoc non pertinet, & tanta materies breui atque ad alia festinanti non potest explicari sermone; necesse est, vt istis ad præsens intermissis, ad ea quæ de mortuorum reuelationibus sunt exequenda, vt promissimus accedamus.

Psalm.
79.

De Ste-

De Stephani, qui Blancus dicebatur, apparitione mirabili.

CAPVT X.

QUOD verò in primis dicturus sum, ab illis mihi personis relatū est, quorum testimonio non minus quam mihi ipsi credere compellabar. Vita enim vel conuersatio eorum hoc exigebat, vt non magis proprijs oculis quam eorum relationi, absque dubitatione aliqua, fidem accommodarem. Hi ergò mihi hoc retulerūt, fuisse apud Cluniacum quendam fratrem, qui Bernardus Sauinellus dicebatur. De quo referebant, quod licet aliquando in quibusdam leuiter se haberet, correptus tamen, vt regularis disciplinæ moris est, multaue tam verborum quam verberum opprobria passus, patientissimè tolerabat, seque mittem post flagella vultus & operis alacritate exhibebat. Is nocte quadam dum fratres in ecclesia nocturnas Deo laudes decantarent, de choro vbi cum alijs psalabat egressus, dormitorium petijt. Cuius gradus dum conscenderet, repentiè Stephanum qui vulgò Blancus vocabatur, olim monasterij sancti Ægidij abbatem, qui ante paucos dies de vita excelsat,

ferat, obuium habuit. Quem cum primo aspectu non cognoscens quemlibet alium esse crederet, quo proposuerat festinabat. At illa imago defuncti, quæ apparuerat, prior in verba prorumpens, quo pergis inquit? Sta, & quæ dicturus iam audi. Frater verò miratus & indignans, quod quasi contra regulam nocturnis horis & loco non congruenti talia monachus loqueretur, eius voces nutibus quibus poterat, comprimebat. Sed cum abbas ille defunctus, qui non vt taceret, sed vt loqueretur, aduenerat, magis ac magis instaret, compulsus eius importunitate frater substitit, & quis esset, vel quid sibi vellet, quæsiuit. Et ille. Sum (inquit) Stephanus dictus Sancti Ægidij abbas, qui in multis & ante abbatiam & postmodum deliqui, pro quibus modo pœnas acerbis patior, ab illis per ineffabilem Dei misericordiam, si mihi subuentum fuerit, quàm citiùs eruendus. Oro ergò te vt Dominum abbatem & omnes fratres mea functus legatione depreceris, quatenus apud omnipotentem Deum pro mea liberatione preces effundant, & me quibus poterunt modis à tantis malis eripere satagant. Cumque frater respondisset, se quidem quod
& ipse

& ipse rogabat facturum, nullum ta-^{*al.illo.}
men suæ relationi crediturum, is qui lo-
quebatur defunctus, adiecit. Vt nemo de
his quæ à te referenda sunt in aliquo du-
bitare possit, noueris te infra hos octo
dies de hac vita migraturum. Quod post-
quam eis prædixeris, subsequens rei ef-
fectus te vera dixisse demonstrabit. Di-
xit hoc, & statim ab oculis eius euauit.
At verò frater ille à dormitorio ad Eccle-
siam rediens, multumque mortis denun-
tiatione non immeritò sollicitatus, no-
ctem in huiusmodi meditatione transe-
git: facto mane, Priori primitus, deinde
venerabili ac sancto patri Hugoni, ad vl-
timum magno ac reuerendo fratrum
conuentui, quæ sibi iniuncta fuerant, pa-
tescit. Quod postquam ad omnium au-
res peruenit, sicut humanorum inge-
niorum usus est, de eadem re ferè sem-
per diuersa sapere, alij quidem credebant,
quàm plures ficta esse affirmabant: vni-
uersi tamen mortis illius quàm frater de-
nunciauerat indicium per illud ab omni
dubitatione purgandi, expectabant Et ec-
ce sequenti die relator visionis morbo
corripitur: sensimque deficiens ad extre-
ma peruenit. Qui vsque ad vltimum spi-
ritum constanter quæ dixerat affirmans,
infra

infra dies supradictos bono fine quieuit, sicque morte sua veritatis nuntium se fuisse comprobauit. Fratrum ergo congregatio post obitum relatoris de visione certificata, tam pro abbate defuncto quam pro eius nuntio multimodas inenarrabili misericordiae Dei supplicationum hostias obtulerunt, & sacris orationibus, elemosynarum largitionibus, maximè autem salutaris sacrificij oblationibus pro aeterna requie totis viribus instituerunt.

De simili apparitione Bernardi, qui grossus dicebatur.

CAPVT XI.

CONSIMILE huic penè idem de Bernardo cognomento grosso miraculum, ab eisdem quos supra memorauimus relatoribus accepi. Hic namque nobilitate & potentia seculari illustris, munitiones quasdam Cluniacensi monasterio proximas possidebat, multaque mala eidem loco atque alijs circumpositis ecclesijs inferebat. Qui tandem mutato spiritu, malis suis finem imponere deliberans, ad supradictum venerabilem patrem Hugonem venit, atque pro peccatis suis orationis Romam se velle perge-

pergere indicauit. Vnde si reditus permit-
teretur, seculo se renunciaturum, ac mo-
nachum Cluniaci futurum esse spon-
dit. Perrexit itaque Romam, ibique a-
pud summorum Apostolorum ac pluri-
morum martyrum gloriosa corpora, ora-
tionibus atque elemoynis vacans. Sa-
tisfactione qua poterat præteritæ vitæ
crimina expiabat. Exacto verò totaliter
in vrbe quadragenario dierum numero,
qui propriè ad agendam pœnitentiam
indici peccatoribus solet, Roma egressus
est, & ad patriam regrediens, Sutram vs-
que peruenit. In qua ciuitate quæ satis
vrbi proxima est, dum moraretur, sinem
vitæ morbo dudum concepto ingraue-
cente suscepit. Ibi à socijs prout in pere-
grino solo licere potuit, honestè curatus
ac tumulatus est. Non multi postmo-
dum fluxerant anni, & cuiusdam villæ
quæ Cluniacensi iuri subdita est, præpo-
situs, per syluam quæ castello de Viella
proxima est, media die iter agebat. Hoc
autem castellum ipse Bernardus nouiter
construxerat, vnde sæpe raptores crum-
pentes, quæ cunque poterant vndequaq;
deprædabantur. Dum ergò (vt dictum
est) iter ageret, repenti eundem Bernar-
dum obuiam habuit. Quem cum mulo
in-

insidentem, ac pellibus vulpinis & nouis indutum vidisset, recordatus defunctum extimuit, compresso tamen timore vtrum esset qui videbatur, vel cur venisset, quæsiuit. A quo tale responsum accepit. Me (ait) noueris esse Bernardū, quondam huius regionis Dominum. Multa certè (vt omnibus hic manentibus notum est) in seculo positus mala egi, pro quibus modò multa patior. Sed præ omnibus torquet me castelli illius iuxta positi ædificatio, quod sicut ipse nosti à me nuper ædificatum est. Quia tamen circa finem vitæ meæ malorum meorum me poenituit, æternam quidem effugi damnationem, sed multò adhuc adiutorio egeo ad plenariam liberationem. Ea de causa ob implorandam misericordiam ad abbatem Cluniacens. venire permissus sum. Cuius comitatum diu prosecutus, quoniam præcedenti hebdomada apud Ansam hospitatus est, nocte inter obsequentes ei famulos mansi. Vnde rogo vt eum adeas, atque vt mei misereatur sollicitè depreceris. Cumq; homo ille cui loquebatur requireret, cur vulpina veste amictus esset, respondit: Hanc vestem mihi olim recentem emi, & eadē die qua ea primum indutus sum, cui-

dam

dam illam pauperi dedi. Quæ sicut noua data est, ita semper noua permanet, atque in penis enarrabile mihi refrigerium prebet. Post hæc verba, ille quidem qui apparuerat disparuit, alter ea quæ iniuncta fuerant implere accelerauit. Nam ad beatum virum ad quem missus fuerat veniens, ei per ordinem cuncta narrauit. Qui benignè defuncti mandata suscipiens, plenus caritatis spiritu multa eleemosynarum, multa diuinorum sacrificiorum auxilia laboranti sub æterno iudicio animæ impendit. Per quæ (vt dignum est credere) & à supplicijs ille liberatus & fidelium requies pro modo supernæ dispositionis adiunctus est. Neque enim ratio patitur, vt spiritus ille in abditissimis iudiciorum Dei reconditus, ad homines ob sui liberationem redire permissus sit, & nulla reditum eius utilitas subsequuta sit. Frustra quippe dimissus videretur. Sed neque Sacramentis, neque sacrorum operum exercitijs se adiuuari petisset, si ea sibi prodesse minimè agnouisset. Qui quoniam talibus sibi auxilijs subueniri rogauit, & illa ad subueniendum efficacia, & se illorum subuentione dignum esse monstrauit. Homini autem illi cui hæc visio apparuerat, prædi-

prædi-

Nota.

prædictus abbas sanctus, mortem proximam esse prædixit. Cum enim huiusmodi defunctorum manifestationes nostris sæpè temporibus prouenerint, vix aliquis mortuo collocutus, mortem longiore tempore distulisse narratur. Vnde iste & visionis horrore, & sancti admonitione prouocatus, statim seculo renunciauit, & factus monachus intra paucos dies terminum vitæ suscepit.

Quanta semper inuidia diabolus aduersus Cluniacum fremuerit.

CAPVT XII

LICET in præcedenti de relationibus defunctorum quæ in Cluniacolis circa contigerunt, me dicturum promiserim, tamen quia plura alia non minus digna memoria in illo famoso monasterio nostra ætate prouenisse dicuntur: non incongruum arbitror, si & illa nostro sermone ad utilitatē legentium proferantur. Vt enim supra tetigi, antiquus hostis non parum illius cœnobij disciplinam ac diuinorum operum studium semper æmulatus est, multisq; iudicijs inuidiam suam erga loci ipsius habitatores ferue re monstrauit. Quæ si per singula vt ad me peruenire potuerunt

tunt enarrare tentarem, & magno volumine legentibus fortè vel audientibus tædium incuterem, & ipse longè à proposito deuiarem. Quis enim explicare valeat quanta improbitate cœlestia illa castra semper vel sæpè inuaserit, quàm iactatus semper Christi militibus sibi repugnantibus fuerit, quam frequentes impetus violenter irrumperere volens dederit? More quippe suo interiorem ciuem id est spiritum extinguere quærens, quas poterat tentamentorum machinas exterius admouebat, & ab intimis se repulsum dolens quanta valebat extra prælia commouebat. Vnde proprio furore cæcatus, cum semper inuisibiliter omnibus instaret, aliquandò quibusdam etiam visibiliter apparebat. Et nesciens quid boni de malo suo Deus facere decreuisset, unde gregem Domini destruere quærebat, inde inuitus eum multoties edificabant.

*De fratre quem sub abbatis specie
discipere voluit.*

CAPVT XIII.

HINC fuit illud quod cum aliquando frater quidam Ioannes nomine, natione Italicus regularis disciplinae seueritatem fastidens,
etiam

etiam fugere de monasterio cogitaret: ipse ei diabolus abbatis specie assumpta se obtulit. Nam duobus dæmonibus in sp̄e monachorum se comitantibus, fratri in quodam secreto monasterij loco soli residenti, multa que secum voluenti, opportunum fallendi tempus inuenisse se credens apparuit: ei que assidens dixit. Ego frater modo huc hospitandi causa diuerti, sed casu te conspiciens, agnoui multa te sollicitudine laborare, multos que in corde tuo cogitationum estus versare. Quorum causa licet quibusdam referentibus mihi ex parte nota sit, si tamen eam plenius indicaueris, poterō forsitan utile tibi dare consilium. Vnde quis sis & quare mœstus sis, amico quærenti expone. Cū que frater ille ignoto (vt putabar) homini secreta cordis sui aperire formidaret, & se tantum modo natione Italicum esse respondisset; dæmon qui monachus videbatur, adiunxit: Et ego ipsius regionis abbas sum, & tibi bene in omnibus auxiliari possum. Noui enim licet tu reticeas quod abbas monasterij huius & cæteri malè te tractant, neque vt dignum esset honorant, insuper multis sæpè iniurijs & contumelijs vexant. Vnde admonéo vt tibi consulas, & locum hunc omnimodis

modis perniciosum derelinquens, mecum recedas. Paratus sum enim te ab his malis eripere, & abbatiam meam quæ Cripta ferrata dicitur perductum, omni te ibi honore sublimare. Ad hoc frater respondit. Ego hinc exire nullo modo possum, quia & clausura monasterij prohibet, & fratrum me multitudo circūdat. Tunc diabolus. Nec ego (inquit) quamdiu hic fueris, te in aliquo iuuare potero. Sed fac qualibet arte, vt septa monasterij transgrediaris. Quod postquam feceris, ego statim adero, teque ad locum meum (vt dixi) perducam. Sed misericors Deus, qui non permittit nos tentari supra quam ferre possumus, non ultra passus est hostem procedere, sed sicut scriptum est: qui fecit illum applicauit gladium eius. Quando namque hoc agebatur, fratrum conuentus in refectorio, ex consuetudine hora coenandi residebat. Qua expleta à Priore secundum morem vno iētra scilla percussa est. Quo sono audito, mox dæmon qui abbatem se fingebat, actus diuina virtute, à fratre cui loquebatur se abripuit, & præcipiti cursu ac maximo impetu ad latrinas quæ proximæ erant tendens, vidente fratre

1. Cor. 20

iam

iam dicto in earum se inferiora demersit. Sic planè misericordia Dei & fratrem à nequissimi hostis tentatione eripuit, & immundum spiritum per condignum eius in munditiæ locum, à domo sua expulit.

*De illo qui demones nudauit flagitijs
sua iactantes.*

CAPVT XIV.

ALIO quoque tempore alter quidam Frater lignorum artifex nocturnis horis, in loco aliquantulum ab alijs sequestrato iacebat. Quem locum vt in monachorum dormitorijs moris est, lampas accensa illustrabat. Dū ergò ille in lecto nondum soporatus iaceret, conspexit immanē vulturem, immensi corporis onus vix alis pedibusque ferentem, velut ex labore anhelum occurrere, & contra lectum eius astare. Quem dum frater admirans intueretur, ecce duo alij in hominum specie dæmones aduenerunt, & vulturem illum, immo dæmonem ita affati sunt. Quid (inquiunt) hic agis? Potes ne hic aliquid operari? Nihil ait possum: quoniam & crucis protectione & aquæ aspersione, & psalmodum insusurrante ab omnibus
repel-

repellor. Tota quippe hic nocte laboraui, frustra que vires meas insumpsi. Unde nihil agere præualens, huc fatigatus deueni. Sed vos iter vestrum mihi narrete, & si quid vobis prosperum cecidit, intimate. Nos (aiunt) de cabilone venimus, vbi militem quendam Gausfredi de Donziaco, cum vxore hospitis sui in adulterium labi compulimus. Item per quoddam monasterium transeuntes, magistrum scholæ cum vno puerorum fornicari fecimus. Sed tu iners quid agis? Surge, & huius saltem monachi, qui nos aspicit, pedem, quem inordinate extra lectum tetendit, abscinde. Quod vbi dixerunt ille dolabro ipsius fratris quod sub lecto latebat arrepto, in ictum totis viribus insurrexit. Sed dum frater eleuatam super se vidisset securim, timore actus pedem retraxit, & sic dæmonis ictus effectu frustratus, in vltimam lecti partem delapsus est. Quo facto statim maligni spiritus disparuerunt. Frater verò qui hæc viderat, sæpè dicto patri Hugoni mane festinus vniuersa retulit. Qui ad rei certitudinem explorandam cabilonem atque trinorchium misit, & subtiliter quæ à dæmonibus dicta fuerant inuestigans, veridicos fuisse men-

D

daci

*Cur ma-
ligni spi-
ritus
quando-
que refe-
runt sua
mala ho-
minibus.*

Responſo.

Iob. 5.

dacij ministros inuenit. Sed dicet aliquis. Cum maligni spiritus malitiæ subtilitate longè humanæ astutiæ calliditatem superent; utpote quos naturæ leuitas nulla corporis mole depressa, ad omnia expeditos, longaque rerum experientia sagaciores reddit: quomodo nequitia suæ consilia seu opera, audientibus hominibus produnt? An non perpendunt, patrefactis insidijs suis à quantis eorum laqueis sæpè homines sint eruti, & quoties ipsi earundem sint insidiarum effectu frustrati? Quomodo ergò audiente fratre supradictò, & ea mala que fecerant aperuerunt, & cur alia quæ optabant, facere non posse dixerunt? Ad quod respondendum, quia licet multa eis insinocendi facilitas, & prompta ad fallendum voluntas, occulta tamen Dei dispositione, ita miris & incomprehensibilibus modis in ipsa sua falsitate plerumque falluntur, ut humanæ saluti cui sponte semper infesti sunt, infesti quandoque deseruire cogantur. Comprehendit quippe (ut scriptum est) vera sapientia falsos sapientes in astutia eorum, ut vnde fallere volunt inde fallantur, & vnde perimere cupiunt, ipsi potius perimantur. Vtitur eis sanè more prudentis patris fami-

lias

alias vt malis seruis, qui cum nullo ad seruiendum amore moueantur, seruili tantum terrore Dominicis imperijs obsequuntur. Vnde aliquando scientes, aliquando nescientes, semper autem nolentes, ea quæ ad hominum pertinent salutem, operantur. Quod autem semper nolentes operentur, omnibus certum est. Quo verò aliquando scientes Euangelium loquitur, vbi ait: Exhibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei. Nam credere Christum esse filium Dei ad salutem hominum pertinere, dæmones ista clamantes non ignorabant. Sed quia hanc confessionem non fidei deuotio proferebat, sed tormentorum acerbitas extorquebat, ipsi indicant, dum subiungunt: Venisti ante tempus torquere nos. Nolentes ergo pariter & scientes salutis humanæ præcones fiebant. In actibus quoque Apostolorum quando per energumenum dæmon clamabat, Iesum noui & Paulum scio; vti que nolens & veritati attestabatur, & quod audientibus prodesse poterat fatebatur. Rursus in Euangelio, rogante legione dæmonum, & dicente ad Dominum. Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum; & propriam impotentiam

tiam testabantur, qui nec porcis nisi permissi dominari poterant, & homines à se pessimis videlicet hostibus salutis suæ fugere, atq; ad saluatorem suum cōfugere, talibus verbis inuiti scientesq; manebāt. Quod verò aliquando nescientes ea quæ hominibus profunt operentur, innumera quidem sunt exempla sanctarum scripturarum, sed tamen hoc specialiter, beati Iob tentatio & Domini passio manifestant. Nam neque Iob Sathanas tentasset, si eius se vincendum patientia precessisset, nec Iudæos vt Dominum crucifigerent instigasset, si morte illius se multò magis damnandum, mundumque saluandum præuidisset. Nam & Apostolus diuinæ incarnationis & passionis mysterium absconditum dicit à seculis, quod nemo principum huius seculi cognouit. Ita ergò vt dictum est, aliquando scientes, aliquando nescientes, semper tamen nolentes nequam spiritus supernæ sapientiæ acti dispositionibus, aut loquentes aliquid aut operantes, siue latentes humanos oculos, siue coram apparentes, utilitatibus humanis inseruiunt. Vnde quando Dei ordinatione aliquibus apparentes vel faciunt aliqua vel loquuntur, manet quidem in eis auida nocendi volun-

lua.

luntas, sed eam legibus suis subactam, refræat quæ cuncta moderatur potestas. Quicquid enim furiant cuncta subvertente, quærentes aëriæ potestates, sapiëntia tamen vincit malitiam, attingens à fine *Sap. 8.* vsque ad finem fortiter, & disponēs omnia suaviter. Inde namq; sapientia fortiter pertingere à fine vsque ad finem dicitur, quia sapiëntia æterna hostium versutias sapiënter capit, & virtus inuicta eorū fortitudinem subigit. Certum est igitur, quod quando supradicto fratri apparentes, ea quæ iam memorata sunt retulerūt, aut scierunt quid boni inde futurum esset, aut nescierunt. Diuinæ tamen voluntati & aliquorum salutē nolentes interferunt. Hoc ad ea quæ de insinuatione dæmonum dicta vel fortè dicenda sunt interferui, vt nemo consilia seu opera sua eos quasi sponte prodere miretur: quoniam non ipsorum hoc opus, sed diuinæ dispensationis est consilium, quæ ad ampliore[m] nominis sui gloriam etiam malis benè vtitur, & de ipsorum malitia, multam erga suos benignitatem operatur. Quomodo enim humana infirmitas tanto hosti resistere posset, de quo dicitur; Non est potestas super terram quæ comparetur ei: nisi se contra tam robu-

Iob. 41.

stum aduersarium, ille qui Dei virtus dicitur, pro nobis opponeret? Quomodo depressa in imis humanæ mentis stoliditas, tot dolositatis eius versutias caute valeret, nisi ille qui Dei sapientia vocatur, eas nobis detegeret? Quos eius dolos seu conatus, quibus sancto Cluniacensi cœnobio sæpè irrequietus institisse aliquantis reuelationibus manifestatum est; digna videntur, vt cœperam, exequi

Quid beatus Hugo narrauerit in capitulo vigilia natalis Domini.

CAPVT XV.

MOS eiusdem monasterij erat natiuitatem saluatoris ceteris solennitatibus singulari affectu deuotius agere, & cantuum melodijs, lectionum prolixitatibus, cereorum multiplicium accensionibus, & quod longè præstantius est, speciali deuotione, multaque lachrymarum profusione, cum angelicis spiritibus alacriter sollemnizare. Qua temporis reuolutione redeunte, fratres more solito se suaque omnia parauerunt, & ecclesias ornando, aliaque monasterij loca aptius componendo, in-

tus &

tus & extra festiui apparere satagebant. Supererat adhuc beatus ille ac venerabilis pater Hugo, vltimo senio morti quidem corporeæ, sed & vitæ post mortem æternæ vicinus. Qui iam instante ipsa solennitate, capitulum vbi fratres conuerant ingressus, hæc ad omnes protulit verba. Noueritis fratres, Iesum benignum Saluatorem nostrum suæ natiuitatis, vestræque liberationis solennijs interesse disposuisse, vestræque deuotionis obsequium multo cum gaudio præstolari. At contra sciatis nequam hostem vestræ felicitati inuidentem, laborare quatenus aliquas tenebrarum suarum nebulas, tanto si possit splendori intermiscet, tantæque festiuitatis gloriã saltem quantulumcunque imminuat. Frater enim (ait) quidam, se utiq; dans intelligi, hac ipsa nocte vidit ipsius misericordie matrem, perpetuam virginem, filiũ quem præsentis nocte genuit, dulcissimo gremio continere, eiq; sanctorum angelorum multitudinem, cum immenso lumine astare. Lætabatur autem idẽ Deus puer, & immenso gaudio exultabat, atque cordis lætitiã gestu gloriosi corporis, & ipsarum plausu manuum demonstrabat. Et conuersus ad matrẽ, aiebat ad

illam. Cernis mater noctē que imminet
 meæ natiuitatis gaudijs illustrandam, in
 qua & prophetarum oracula & angelorū
 præconia renouabuntur, & meo de te ex-
 ortu, omnia simul cælestia atq; terrestria
 lætabuntur? Vbi est nunc hostis damna-
 ti perfidia, vbi eius potestas, qua ante hoc
 singulare gaudium mundo dominaba-
 tur? Quo ille impudens audito, de lati-
 culo suo egressus à longè se præsentabat,
 & ignominiosè deturpatus, cum multo
 planctu atque ciulatu, vt admitteretur, o-
 rabat. Quod eo voto dicebat, vt tantæ
 claritatis gaudia quibus inuidebat, suo
 more vel in aliquo obfuscare valeret. Et
 si in nulla Ecclesiæ parte admitteret, in
 aliquo saltem reliquarum officinarum
 loco suscipiar. Vade (ait filius virginis)
 furcifer, & ne te mea potentia præiudi-
 catum lamenteis, tenta quod poteris. At
 ille solutus, arcum capituli petijt & ingre-
 di conatus non potuit. In tantum nam-
 que & se tumidum, & capituli introitū
 angustum inuenit, vt nullatenus intrare
 valeret. Verè vetusta superbix peste in-
 flatus, per humilem aditum transire non
 poterat, quia non idem aditus superbum
 erectum & humilem caput inclinatum.
 Inde ad fratrum dormitorium gressum

Nota.

conuertit, & phantasijis solitis eos se posse inquietare confidens, introire tentauit. Sed eadem grossitudine sua ab ostio repulsus recessit. Postremum ad refectorium nocendi spem contulit, ibi propter aliquam corporum curam, maiorem suspicatus mentium incuriam. Ibi etiam tot obices diuinorum ex lectione verborum, tot trabes ex deuotionibus auditorum, tot repagula offendit ex caritate sibi seruentium, ut nullo modo ultra procedere præualens, retro eogeretur redire. Sic quoque ab omnibus monasterij officiais reiectus, à conspectu piissimi Redemptoris & gloriosæ virginis matris, cum ea quæ dignus est confusione, persistet ille recessit. Cauti igitur estote, & immensas gratias omnipotenti ac misericordissimo saluatori agite, qui & nequissimum hostem à vobis expulit, & ipse nobiscum festum suum celebraturus remansit. Hæc à sancto viro fratribus dicta, furentium aduersus locum ipsum malignorum spirituum ostendunt nequitiam, ac Domini eundem protegentis clementiam. Qui nequam hostes quamuis vniuersis generaliter insidiarentur, nouiter tamen conuersis amplius infesti instabant. Dolebant quidem vete-

D 5.

rano-

ranorum profectibus inuidentes, sed syronum superaddita conuersione, quali recenti suscepto vulnere, acrius indignabantur. Et velut longi temporis desperatione, prioris prædæ spolia postponentes, contra ea quæ ab oculis rapiebantur, longè vehementius accendebantur. Hinc aduersus nouitios bella valida commouebant, hinc tentamentorum diuersis telis armati, totis eis conatibus insistebant.

De fratre qui demones vidit quasi religiosè incedentes.

CAPVT XVI.

ET vt de illis aliquid dicam, quæ nostro tempore contigerunt: vidi ego quam plurimos varias mihi erga se dæmonum insidias exponentes. Nec ea quæ spirituali bello ex vitiorum suggestionibus gerebantur, sed quæ quasi in aperto certamine campo, non paruo verorumque sudore fiebant. Exuberans quippe abundantia malitiæ hostis, cum nihil intus tentando proficere valeret, in iram vehementius exardescebat. Et inuisibiliter se victum dolens, si saltem visibiliter eum militibus Christi congregiendi, in aliquo posset esse superior,
 atten-

attentabat. Vnde fuit illud, quod frater
 quidam mihi retulit: vidiſſe ſe innume-
 rabilem demonum turbam, per domum
 illam quæ cella nouitiorum dicitur, tran-
 ſeuntem. Iacebat autem nocte quadam
 ante matutinas in lecto, & nescio quid
 de psalmis ſecum meditabatur. Cum ee-
 ce dormientibus cunctis, conſpicit ne-
 fandum illud collegium in monacho-
 rum ſpeciem commutatum, ab oſtio
 quod capiti ſuo imminabat procedere.
 Qui capitibus induiti, religionis ſchema ſi-
 mulantes, ſeriatim & quaſi cum multa
 grauitate incedebant. At ille quid eſſet
 intelligens, atque vt in talibus fieri ſo-
 let, non parum perterritus (nam ſemper
 malignorum ſpirituum viſionem terror
 comitatur) quantum potuit ſub eo quo
 tegebatur operculo caput abſcondit: ſed
 ad exitum rei peruidendum, parum quid
 ſpatij oculis dereliquit. Quos diligenter
 quid eſſent facturi obſeruans, conſpexit o-
 mnem illum Sathanæ exercitum, per do-
 mum illam fratrum quieſcentium tran-
 ſeuntem, nihil ſuum in ea operari potuiſ-
 ſe, ſicque per domum latrinarum
 proximam ſibi que ſatis com-
 petentem, exitum
 habuiſſe.

De Algero sene religioso.

CAPVT XVII.

FRATER quoque alius nomine Algerus verè vt de beato Iob dicitur, simplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, sepe multum que sibi institisse dæmones, mihi frequenter conquestus est. Vt enim plura de his quæ mihi retulit præteream, referebat se aliquando in iam dicta nouitiorum domo, multis alijs circumiacentibus dormire. Visum est verò ei, quod signum in Ecclesia more solito ad nocturnas laudes fratres excitans. pulsaretur. Surrexit ergò, & campanam vt videbatur fortiter resonantem audiens, ad Ecclesiam festinabat. Cumq; per eandem domum in quam iacebat transiret, lectos fratrum vndique circumspiciebat, & alios iam surrexisse, alios se ad surgendum parare videbat. Sed cum domo transmissa in claustrum proximum deuenisset, signi sonitus qui ex vicinitate multò magis audiri debuisset, omninò defecisse visus est. Suspiciatus autem tarditate sua signum sonare desisse, omnesque se ad Ecclesiam anticipasse, festinantius gradie-

gradiebatur. Cum verò in maius claustrum peruenisset, pro luminarium claritate quæ ex consuetudine hora surgendi omnia illustrant, tenebras offendit. Sed & cum ad ecclesiam appropinquasset, portas quas patentes inuenire solebat, clausas reperit. Ibi quoque admota aure si fortè psallentium voces sudiret, summum vbiq; silentium aduertit. Admirans itaque & quia ecclesiam ingredi nō poterat, ad dormitorium suum regressus, quos prius surrexisse conspexerat, omnes iacentes & dormientes inuenit. In se ergò reuersus, dæmoniscam fuisse illusionem agnouit, qui nullum tempus à malitia sua vacare patientes, cum diuina dispositione à maiori nocendi possibilitate arcentur, in minoribus quibuslibet exercentur. Nam toto nisu nature humanæ inimicantes, cum animabus nocere nequeunt, ipsis saltem corporibus prout possunt molesti existunt. Unde plerumque in monachos in somnis inquietant, vt horis somno congruentibus amissis, cum vigilare debent dormiant, & sic sanctarum lucra vigiliarum amittant. Harum inquietudinum, multorum multoties querelas accepi, quorū alij opertoria sua noctibus dum dormi-

D 7 rent,

rent, subrepta sibi atque longius proiecta à demonibus, dicebant, alij subripere volentibus violenter eadem tegmina se extorsisse, nonnulli dum in remotioribus naturæ satisfacerent, eos sibi derisoriè astitisse affirmabant. Præterea quosdam nocturnis horis, alijs quiescentibus sancta orationum furta quærentes & eadē causa claustrum, & ecclesias peragrantes, multis aliquando terroribus appetebant, ita vt in eorum aliquos visibiliter irruerent, & ad terram verberando prosternerent.

De Armano Nouitio quem diabolus in specie vrsi perterrit.

CAPVT XVII.

VIDI ipse quendam fratrem Armannum nomine, qui dum esset nobilis & diues miles in seculo, tactus diuino spiritu, ac mundo renūciare disponens, prius equos ac vestes multi pretij, magnumque argenti pondus, & omnia penè sua Chuniacum direxit, & sic pauper atque peregrinus Hierosolymā petijt. Ibi domini adorato sepulchro, & sanctissimorū locorum visione aliquanto tempore recreatus, cum vitæ terminum quē ibi summoperè adipisci, vt ipse mihi post retulit, desiderabat, dis-

fenti

ferri videret, redijt, atq; Cluniaco habitū religionis induit. Cū quo & animum ita ab omni mundano affectu mutauit: vt nec communia bona, nec priuata diuersarum exercitationū lucra spirituali cordis eius ardori satisfacere possent. Non ei dies ad orationem, non nox sufficere poterat; vix cibo aut sōno, eo studio indulgebat. Admonit⁹ à me sepe, vt parci⁹ in talibus se haberet, quoniam modum excedere videretur, nimio animi seruore non acquiescebat. Contigit igitur post domini natalē, nocte quæ diem præcedit beati Ioannis Euangelistæ, vt in supra memorata cella nouitiorum, cū alijs nouitijs ipse adhuc nouitius iaceret. Et ecce clamare terribiliter coepit, sicque perseveranter, vt omnes de lectis suis surgere, & ad se vndique concurrere cogeret. Venerunt ergo, & eum aliena loquētem inuenerunt. Inde ad me vbi iacebam, multorum fit concursus. Qui quoniam propter regulare noctis silentium loqui non poterant, nutibus nescio quid mirū contigisse ostēdebant. Surrexi, & ad fratrem patiētem cum ipsis perueni. Quem turbatum & vociferātem, & velut maniacū furentem inueni. Perseueraui cū fratribus ante illum vsque ad exortū dici, in quo
spatio

spatio aliqui pro eo Domino supplicabant, omnes autem non minimum pro eius passione dolebant. Iam verò aurora instante, paulatim clamare cessauit, & ita demum astantibus fratribus obdormiuit. Post paululum autem experges factus, iam mecum modestè loqui cepit. Cumque eum interrogarem, vtrū sciret quid passus esset, vel quæ causa tanti, & tam incompositi clamoris fuisset, respondit. Solitis orationibus fatigatus, cum me in lectum collocassem, & leui somno solutus essem, vrsus tam terribilem mihi incubare pensis, vt omnem humanum terrorem, eius incomparabiliter tremendæ visionis horror excederet. Iam autem eadem formidine à somno excitus, quasi somnium quod videram contemere incipiebam. Sed rursus quem dormiens videram, integrè vigilans supra me visum conspexi, tanto in aëre spatio subleuatum, vt manu si vellem eum contingere possem. Tunc verò eam quæ apparebat speciem, quis enarrare sufficiat? Rictus nefandi oris vltra omnem modum horrendi, vt de eo scriptum est: Per girūdantium eius formido. Vngues longissimè recurui, & se ad rapiendum avidissimè exerentes: tota hirsuti corporis habitu-

Job 14.

bitudo, quasi in prædam iam iamque rapiendam durissimè infremebat. Ego quid aliud, quam me continuè in frustra discerpendum, & deuorandum suspicarer? Hoc me diu terrore diabolus fatigatum, à mente mea excedere, sicut vidistis, coëgit. Iam misericordia Domini liberatus & quid, vel à quo ista passus sim agnosco, & liberatori meo quas possum gratias ago. Hæc frater ille mihi & omnibus qui astabant, vt dicta sunt, narrauit. Et quia multam ex terrore illo contraxerat debilitatem, conuentui per triduum interesse non potuit, sed cooperato, ad priora contra malignos spiritus certamina, ex debilitate valentior insurrexit.

Quod Angelus Domini locum, ubi fratris defunguntur, Cruce Christi signauerit.

CAPVT. XIX.

QVAM antiqui hostis aperta contra Christi milites prælia, in illo memorabili loco exacta, & ab eis subacta narrauit; dignum est, vt ipsarum victoriarum palmas quibusdam etiam aperte collatas ostendam. Vt quemadmodum aduersus beatos homines, malignos

lignos

lignorum spirituum monstraui inuidiã,
 ita de ipsis sollicitam sanctorum Ange-
 lorum demonstrẽ custodiam. Nã quos
 ab illis tentatos, ab istis sæpe iussu Dei
 compertum est glorificatos. Igitur sicut
 de innumeris hostium congressionibus
 quædam retuli, sic de multis cœlestium
 visionum miraculis pauca narrabo. Teu-
 tonicus quidam Eppo nomine, à sepe di-
 cto beato patre Hugone in monachum
 susceptus, toto quo postmodum vixit,
 tempore, religiosè conuersatus est. Qui
 appropinquante hora vocationis suæ, in-
 firmitate correptus, in domum infirmo-
 rum secundum morem delatus est. Erãt
 ibi & alij fratres, morbis & ipsi diuersis
 laborantes. Quorũ quidam ceteris mor-
 ei proximiores, vltimum penè spiritum
 natura succumbente trahebant. Interea
 frater iam dictus valetudine ingrauescẽ-
 te, & ipse ad extrema perductus, inter vi-
 tæ mortisq; discrimina agonizabat. Ad-
 huc tamen sensu & verbo integer, con-
 spexit infandam dæmonum turbam cõ-
 titionibus igne fumigantibus irruẽtem,
 per domum illam infirmorum, furioso
 vbique impetu discurrere. Qui cum ita
 bacchantes huc illucq; verterentur, ce-
 ce beati Apostoli de cœlestibus adue-
 nien-

aientes, perterritos fratres ne timerent
 blandè hortati sunt, & mox gloriosa sui
 aduentus præsentia, latrunculos illos ef-
 fugauerunt. Verba verò loquentium
 sanctorum ab instantibus audiebantur,
 sed personæ minimè cernebantur. Sic
 domo Dei apostolica præsentia ab im-
 mundis spiritibus emundata, cœlestis vi-
 sionis gloria augmentatur, & beatis A-
 postolis sancti Angeli coniunguntur.
 Habetur autem in domo media locus,
 vnius corporis capax, ad hoc aptatus ut
 fratres ibidem in cinere & cilicio com-
 positi, extremum Deo inde spiritum
 reddant. Hunc locum frater huius visio-
 nis conspexit, quodam inconsiderato
 timore ita abhorrebat, ut nullatenus ei
 se appropinquare pateretur. Dum ergò
 ea quæ dicta sunt contempleretur, re-
 spexit, viditque angelum Domini manū
 in sublime porrigentem, signo sanctæ
 Crucis locum eundem signasse. Quo fa-
 cto, visio ab oculis eius subtracta est. Iam
 omni à corde eius stulto timore sublato,
 post paululum se in loco eodem reponi
 fecit, sicque animam suam sanctis
 qui apperuerant, alacriter
 tradidit.

De fra-

*De fratre nomine Benedicto, qui moriens
multitudinem albatorum vidit.*

CAPVT XX.

FVIT & alius, vt de magno Bene-
dicto legitur, gratia benedictus &
nomine, cui parem in sacris stu-
dijs nescio si vnquam viderim. Hic
priusquam ad monasterialem ordinem
venisset, religiosus valdè presbyter exti-
tit, in tantum vt vix ei aliquid ante mo-
nachum de monacho deesset. Sed (sicut
sanctorum virorum mos est, vt bona
quæ faciunt pro nihilo ducentes, ad ma-
iora toto desiderio conscendere semper
intendant) mutato apud Cluniacum ha-
bitu, verus factus est monachus. Iam si
eius per singula vitam describere cona-
ter, non transeunter de illo commemo-
randum, sed diutius esset immorandum.
Nec capitulum breue illum explicaret,
cuius sanctę conuersationi vix liber inte-
ger sufficere valeret. Quod quia suscepti
operis necessitas prohibet, sit hoc leue
saltem beati viri monumentum, ne tam
veri tamque perfecti monachi nostris
temporibus exemplum ex toto cum eo
videatur esse sepultum. Nam quis istis
pessimis temporibus, quando iuxta
psalmi-

psalmistam defecit sanctus, & diminuta *Psal. 117.*
sunt veritates à filijs hominum, cœlesti-
bus ad eò studijs intentus extitit? Quis tã
plenè mundum, omniaque mundana
calcauit? Quis ita generaliter vniuersa à
se genimina vitiorum extirpans, agrum
mentis suæ omnium virtutum suauibus
atque odoriferis graminibus seuit? Nam
quia vt Apostolus ait, coram Deo in
Christo loquimur, ipsum ante quem lo-
quimur testem adhibeo, me non aliter
loqui quam sentio, viro videlicet isti nul-
larum propemodum virtutum perfecti-
onem defuisse. Quando enim humilitas
eius qua se vniuersis submittebat, & qua
se secundum regulæ præceptum omni-
bus inferiorem & viliozem credebat, ex-
plicabitur? quando eius caritas, qua fra-
ter omnes ita amplectebatur, vt non sibi
sed omnibus pro mediocritate officij vi-
uere videretur, alicuius sermone declara-
bitur? Quando eius patientia exponetur,
qua singulariter præditus esse videbatur?
Namque propter excellentem iustitiæ
zelum, quo cum ceteris bonis suis con-
tra negligentium fratrum delicta accen-
debatur, de illorum numero erat, quos
propter maiorem disciplinæ cautelam,
circuitores monasterii beatus Benedictus
esse

esse præcepit. In quo ministerio cū nulli parceret, & maiores minoribus quātum ad vitiorum reprehensionem spectat, absque vlla personarum discretione æquaret: multas à quibusdam, quia inferre verbera non audebant, verborum iniurias tolerabat. Recordor ego sæpius falsis aut quasi nullis accusationibus in communi fratrum conuentu à talibus impetum, innumeris vicibus quasi reus existeret in terram prostratum, cum nihil prorsus deliquisset, culpabilem se tantummodo respondisse. Hunc enim morem habebat, vt quādoque culparetur, nunquam se à culpam diffiteretur. Silebat perpetuò, nisi cum eum certa & grauis causa loqui cogebat. Verba eius breuissima: à nugis, iocis, atque omni prorsus ociositate aliena. Si quādo verò de spiritualibus sermo erat, nunquam is sine suspirijs, nunquam sine lachrymis fiebat. Psalmodia indeficiens, scripturarum sanctarum nocte dieque meditatio, propter quod & psalterium glossatum semper circumferebat, quoniam psalmos non perfunctorie, vt quibusdā moris est, sed summa cum attentione atque deuotione cantabat. Vbi si quid quod non intelligeret offendisset, ad glos-

ad glossas statim oculum conuertebat. Diem totam psallendo, meditando, noctem vigilando & orando peragebat. Nam vix breuissimo spatio, etiam hyemalium noctium prolixitatibus in lecto quiescebat. Quando enim ad altaria occultè confugere poterat, quiescendi necessitate vix aliquando lecto retinebatur. Quando verò propter communis obseruantiam ordinis lecto deesse non audebat, magis eo ad sedendum quàm ad iacendum utebatur. Sed erat etiam ipsa sessio non ociosa, quando rarò oculi à lachrymis, nunquam verò lingua à psalmodia cessabat. Innumeris confectum supplicijs corpus, toto penè vitæ suæ tempore cilicijs asperrimis exasperare consueuerat. Habebat idem beatus vir pro cella domum orationis in turri altissima atque remotissima, in honorem Sancti Michaëlis Archangeli consecratam, qui deuotioni eius præ cunctis monasterij locis specialius famulabatur. In hac diuinæ theoriæ totus nocte dièque intentus, mente cuncta mortalia transcendebat, & cum beatissimis angelis internæ conditoris visioni penè iugiter assistebat. Hæc indeficientium orationum, hæc assidue inundantium lachrymarum,

marum,

marum, hæc durissimorum flagellorum, hæc quotidianorum sacrificiorum, sola quidem testis tunc affuit: sed ea tamen nobis prorsus celare non potuit. Nam sancti inter abdita latibulorum opera sua semper celare laborant, sed ea si homines taceant, lapides clamant. Iam si ad habitum corporis eius stilus conuertatur: solus ipse sufficientia loqui iudicabitur. Corpus quippe attenuatum, facies macilenta, capilli incompti, ipsaque canitie venerandi, vultus demissus, oculi vix vquam patentes, os sine requie sacra verba ruminans, non in terra, sed in coelo positum hominem indicabant. Huic plane non surdo auditori Apostolus loquebatur; Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Poterat & ipse cum eo dicere; Nostra autem conuersatio in cœlis est. Sed quia (vt supra dixi) propositum meum fuit, non omnia quod mihi impossibile fuisset, sed quædam de ipsius sancta conuersatione narrare, ne omnino beati viri memoria sopiretur, his breuiter præmissis, ad gloriosum finem eius, sermo conuertatur. Igitur in omni virtutum exercitatione vitæ suæ cursu peracto, ad corpo-

Col. 3.

Phil. 2.

ris incommoditate, breui ad extrema
 deductus est. Fuit autem tempus illud
 paschale, quo transacta ieiuniorum qua-
 dragesima, purgatiorem gregem suam,
 & velut maturiorem segetem Christus
 inueniens, multos ex hac luce subtraxit,
 & sicut electa grana, horreis celestibus
 recondidit. Multi namque illo tempore
 leui morbo pulsati, quasi nutum vocan-
 tis Domini illicò sequebatur. Inter quos
 iste vir Domini (vt dictum est) ægritudi-
 ne decumbens, postquam & sacri olei un-
 ctione, & salutari Christi corporis perce-
 ptione, atque communi fratrum absolu-
 tione, ad iter cœlestis scandendum ido-
 neus factus est, aduenit dies laboris vlti-
 ma, mercedis prima: iacebat verò in le-
 cto, & lampadē plenam oleo, id est, con-
 scientiam plenam virtutum testimonijs
 habens, sponsum expectabat, & vt arbi-
 tror cum Apostolo dicebat: Gloria no-
 stra habere testimoniū conscientiæ no-
 stræ. Respiciens ergò, vidit infinitā mul-
 tudinē aliatorū aduenire, & paulatim
 omne domus illius spatium cōplere. Cū-
 que domū præclarissimis illis spiritibus
 repletam vidisset, fratrum conuentum
 esse suspicatus, custodem infirmorū bo-
 næ religionis virū Otgerium nomine,

2. Cor. 2.

E

VOC.

vocavit, eique dixit: Frater Otgeri, hinc-
 re ordo noster est, vt conuentus albis
 indutus, in infirmariam veniat? Crede
 mihi, hodie video, quod nunquam retro
 contigisse audiui. Verè licet corpus beati
 viri suis viribus destitutum fuisset, mēt
 tamen vigor, & zelus domus Dei sicut
 semper fuerat, adhuc in eo vigebat. Sed
 cum frater ille nullum albatorum in in-
 firmaria illa esset affirmaret, adhuc in ea-
 dem opinione persistens, adiecit: Miror
 valde quomodo hoc dicere potes, cum
 non pars domus, sed tota eisdem albatis
 viris plena sit, & te ipsum vbi nunc lo-
 queris, ex omni parte ijdem circudent.
 Tunc tandem intellexit cui hoc dicebat,
 non hominum illum conuentum, sed
 beatorum esse angelorum. Qui ad hoc
 absque dubio de supernis descenderant
 ad conciuem suum qui semper mente cū
 eis conuersatus fuerat in terris, vt per
 ipsam spiritus sui præsentiam, eis semper
 ternæ cohabitaret in cælis. Et qui per spe-
 culum & in ænigmate secundum Apo-
 stolum hic Dei desiderabilem vehemen-
 ter esurierat speciem, manifestata ipsius
 gloria satiatus, videret eum facie ad fa-
 ciem. Parum interualli successerat, & ser-
 uus Domini ab illis quos viderat albatis
 & glo.

Nota.

2. Cor. 13.

& gloriosis spiritibus accitus obiit, bea-
 tamque animam eis tradens, ad regna ce-
 lestia (vt dignum est credere) cum ipsis
 peruenit. Sed ne quis temerè me hoc
 affirmare suspicetur, quod quasi absque
 purgatorijs pœnis eius animam ad cœ-
 los euectam dixerim: iutelligat, nulla
 eos purgatione indigere, in quibus nihil
 purgandum constat remanere. Quod
 quia nemo negare potest, vtrum iste sic
 purgatus fuerit, fortassis inquirere festi-
 nabit. Ego verò, quantum hominibus
 cognoscere datur, dico istum sic in hac
 vita per gratiam Dei animum suum di-
 uersis sanctorum operum exercitijs emū-
 dasse, vt nihil in eo mundandum credi-
 derim remansisse. Nam si hoc de multis
 etiam sine martyrio conceditur, quare
 non & de isto concedatur? Cuius enim
 crimina nulla, cuius veniales etiam
 culpæ vix aliquando deprehendi pote-
 rant, tot cruciatibus corporis sui, tanta
 sacrorum studiorum instantia, ne igni-
 bus futuri seculi torqueretur, expiari
 non potuit? Potuit planè. Nequaquam
 enim vltices scelerum flammæ experi-
 ri debuit, qui in se omnium concupi-
 scentiarum feruorem compescuit. Nec
 pœnalis in eo ignis, quod de-
 E 2 coque-

coqueret inuenit, quem ignis diuinus ad purum vsque purgauit.

*De Turquillo, priore Marciniacensium
sororum.*

CAPVT XXI.

ALTER etiam frater Turquillus nomine, vir nihilominus in omni virtutum synceritate & veritate probatus, ab adolescentia vsque ad ultimam senectutem iugum monasticæ ordinis mansuetissimè portans, ipsa miti & humili corporis & vultus sui specie, quiddam cœleste prætendens, curam sororum Marciniacensium à se sibi iniunctam agebat. Quam cum per aliquantum temporis religiosissimè administrasset, carnis ingruente incommodo, ad solvendum commune mortis debitum appropinquare cœpit. Cumque illum in cinere & cilicio positum, fratres vndique circumstarent, repenti ab eis spiritu raptus obmutuit. Qua de causa frater quidam ex his qui astabant Vnfredus nomine honestæ vitæ conuersationis, ausu familiaritatis, qua præ ceteris ei semper adhaeserat, ad eum se inclinavit, & si aliquid spiritualium rerum vidisset, quæsiuit. Ad quem ille his verbis. Vidi (ait) Domini

22455

num, & dulce consortium eius. Hoc cū non vulgaribus, sed ita vt expressi verbis latinis dixisset, paruo interueniente temporis spatio, defunctus est. Et quia de Marcimaco mentionem feci, miraculum quod ibi diuina virtute aliquando contigit, nullo modo tacendum est.

Miraculum quod in eodem Marcinicensi monasterio contigit.

CAPVT XXII.

EST idem locus inter alia sanctimonialium sancta loca, singularē gratiam obtinens, & velut inter fulgentia cœli sydera, quodam suo proprio fulgore præfulgens. Ibi nobiliū mulierum multitudo, & quæ de ipsius regij sanguinis sublimitate descendunt, spernunt diuitias, honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt, Christi quæ sequentes pauperiem, proprio mundum cum principe vincunt: de quarum numero plurimæ virorum morte destitutæ, secundas iterare nuptias refugerunt, aliæ incolumes maritos deseruerunt, quædam ab omni carnis corruptione immunes, angelicum virginitatis honorem, carnalibus voluptati-

bus prætulerunt. Omnes tamen in com-
 mane, virili constantia, femineam mol-
 licem supergressæ, non solum mundana
 omnia, sed & seipsas sibi subiugant, ope-
 re manuum, psalmodia, oratione assi-
 dua, fletuque indeficiente, aut præterita
 vitæ naeuos abluunt, aut meritorum cu-
 mulos augere contendunt: cunctaque
 profus visibilia contemnentes, ad amo-
 rem inuisibilia certatim semetipsas
 accendunt. Interque vniuersa bona sua,
 singulari penè & ante inaudita gratia,
 perpetuo se carcere damnant: ita vt post-
 quam semel facta secundum regulam
 professione, corpori monasterij sociatæ
 fuerint, nunquam qualibet necessitate
 non dico septa murorum, sed nec ipsas
 in quibus commorantur regulares do-
 mos, transgrediantur. Hanc ipsæ sibi id-
 circò more aliarum sanctimonialium e-
 quitandi vel deambulandi licentiam
 præcepto abbatis sui interdixerunt: ne a-
 liqua occasione vel mundus in eis videat
 quod concupiscat, vel ipsas aliquid no-
 xium saltem in excursu videre seu audire
 compellat. Nam eum quem à mētis suæ
 intuitu profus abegerunt, ipsis quoque
 corporalibus oculis videre concernunt.
 Ea propter claustro salutari conclusæ, &
 vt sic

vt sic dicam vitali obrutæ sepultura, pro
 præfenti coarctatione, sempiternam lati-
 tudinem; pro sepulchro, beatam resurre-
 ctionem expectant. Vnde prius mori
 quàm egredi, ante occumbere, quàm li-
 men designati ostij transgredi elegerunt.
 Quod tunc apparuit, quando in circum-
 positis villæ domibus, casu, quodam tē-
 pore ignis exarsit. Ferebantur in sublime
 globi flammæ, & exustis circum-
 quaque omnibus, sanctarum illarum
 habitaculis appropinquabant. Tollitur
 in altum clamor populi, ne sacræ domus
 comburerentur, magis, quàm de proprijs
 damnis solliciti. Fit concursus omnium
 ad muri eas ambientis propugnacula, &
 super domorum teeta conscendentes,
 totis viribus obuiam ire ignibus parant.
 Arentem materiam quam super inue-
 niunt longè proijciunt, conuectam cer-
 tatim aquam flammis iniiciunt, nihil
 quod ad igneam vim repellendam possit
 valere, intentatū dimittunt. Sed nequic-
 quam. Aer enim vento commotus, mul-
 tiplicatas vires ignibus dabat, & fumum
 flammeo vapor admixtum, vultibus at-
 que oculis defensatiū inferebat, ne defen-
 derent prohibebat. Cūq; aliquādiu resti-
 tissent, victi tandem violento elemento-

rum conflictu, tecta relinquunt, & se passim ad terram præcipitantes, non iam domos, sed propria corpora saluare contendunt. At ignis obstaculo remoto libere omnia peruagatur, & partem ædificiorum sibi propinquiorem inuadens, horrifono strepitu, maximas lignorum moles consumit. Cum verò luctuosa vniuersorum vox, confuso clamore omnia replet, & totius ignari consilij, nil nisi extremum ancillarum Dei exitium præstolantur. Erat tunc fortè in loco Lugdunensis ecclesiæ Archiepiscopus venerabilis Hugo, multa morum probitate & religiosa conuersatione à Domino Papa Urbano, cunctarum fermè Galliarum constitutus legatus. Ad quem velut ad patrem omnes confugiunt, & vt in perturbatis rebus fieri solet, anxie ab eo consilium exposcunt. Precantur præcipuè, vt inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat, neque tantum ouium Christi gregem ignibus pastor perire permittat. Motus Archiepiscopus, cursim claustrum ingreditur, omnesque sub celeritate congregans, summa instantia vt periculo cedant, hortatur. Cumque illæ omninò reauerent, & prius se posse mori, quàm propositum infringere constanter affirmarent,

narent, ait Episcopus. Authoritate beati
 Petri & Domini Papæ cuius vice fun-
 gor, atque ex abbatis nostri obedientia
 vobis præcipio, vt ad præsens hinc exea-
 tis, neque vos cum habitaculis vestris hic
 incendio concremari sinatis. Ad hæc
 quædam maximæ nobilitatis & singu-
 laris conuersationis soror Gissa nomine,
 quam & ipse multoties vidi, spiritu & fi-
 de succensa, respondit. Nos pater, timor
 Dei & præceptum abbatis nostri, vt ignem
 æternum euadere possimus, infra hos
 quos cernis limites vsque ad mortem
 permansuras inclusit. Vnde nullo pacto
 fieri potest vt aliqua necessitate præfixos
 nobis pœnitentiæ terminos saltem pedis
 passu transgrediamur, nisi ab illo qui in
 nomine Domini in hoc nos inclusit lo-
 co soluamur. Noli ergo Domine si pla-
 cet hoc iniungere, quod nobis agere
 non licet, sed sicut nos ignem præcipis
 fugere, ita magis igni vt à nobis fugiat,
 virtute Christi Domini nostri armatus
 iniunge. Ad quam mulieris fidem stu-
 pefactus Archiepiscopus, ac subito & i-
 pse fide repletus, foras exijt, & coram
 cunctis qui aderant flammam intuens, ac
 lachrymis ora perfusus, ait: In nomine
 Domini, & per virtutem fidei huius,

*Monia-
liã clau-
sura mi-
raculo
approba-
tur.*

quæ nunc locuta est, mulieris, recede-
gnis pestifer ab ancillarum Dei habita-
culis, nec damna aliqua ultra inferre præ-
sumas. His à pontifice verbis prolatis,
sicut mihi testificati sunt qui viderunt,
repenè immensitas flammaram inuisi-
bili virtute repressa, velut ferreo muro
obstante ultra procedere non potuit, &
absque vilo humano subsidio, absque a-
liqua pluiiæ gutta, incredibili celeritate
semetipsam extinxit. Sic magnifico atq;
insperato miraculo, sanctarum propo-
situm mulierum sibi bene acceptum esse,
diuina pietas comprobauit, & veræ fidei
merito, omnia possibilis credenti, sicut
in Euangelio promiserat, demonstra-
uit.

*De defuncto milite, qui ter apparuit cui-
dam presbytero.*

CAPVT XXIII.

MEMINI me superius promi-
sisse, quod visiones siue reuelationes defunctorum, quas in
Cluniaco vel circa contigisse audieram,
primo ad mediũ deferrẽ: & sic illis, quæ
de proximo cognoueram præmissis, pe-
detẽtim ad remotiora stilum transferẽ.

Quod

Quod quidē vt institueram agere coepi, sed alijs de eodem loco narrandis miraculis inuitatus, aliqua non minoris vt credo vtilitatis interserere volui. Quibus explicitis, iam ad ea quæ propulerat stilius ordinatè recurrat. Superest adhuc in Vieanensi pago Presbyter Stephanus nomine, vir inter multos sui ordinis viros honestatis & religionis fama præcellens, qui mihi ea quæ dicturus sum vera esse, fide interposita coram multis, qui mecum erant fratribus, retulit. Quæ quia se vidisse dicebat, ipsum introduco loquentem, vt non à me, sed quasi ab ipso qui mihi primo retulit, audiatur. Miles (ait) quidam de castello Moras Guido nomine, in prælio vulneratus, indeque domum reportatus, ad extrema peuenit. Ad quem cum lecto decumberet, proprius eius Episcopus, Viennensis scilicet Archiepiscopus Guido, qui postmodum Romanæ sedi præfuit, visitandi gratia venit, atque pastoralis sollicitudine, vt peccata sua confiteretur, admonuit. Aderam & ego ad quem cura illius post Archiepiscopum spectabat, & quem secum ad illam confessionem audiendam retinuerat. Confessus est æger fideliter peccata sua, quantum ei ad confi-

tendum memoria suffragari potuit, atque à Domino Archiepiscopo solēniter absolui meruit. Qui paucis iaterpositis diebus defunctus est, & iuxta quandam Cluniacensis iuris ecclesiā Mantulam nomine tumultus. Contigit post hæc non multo tempore elapso iuxta sylvam quæ supradicto castro de Moras adiacet, meridianis horis me iter agere, cum ecce subito quasi immensi exercitus strepitū post terga mea audio. Cuius timore perterritus, contiguam sylvam occultandus ingredior. Cumque in condensā illius me immergens, tali ut putabam in loco resedissem, vnde videre transeuntes, nec videri à transeuntibus possem, multo armorum agmine prætereunte, astitit repente coram me miles quem supra defunctum commemoravi equo insidens, scuto pectori anteposito, hastæ militari innixus. Quem ut vidi primo, exhorruī. At ille me perterritum intuens: noli ait metuere, quia non ad incutiendum tibi timorem, sed ad rogandam misericordiam huc veni. Pro peccatis meis dira tormenta patior, & maxime pro duobus, quæ dum cetera confiterer, oblitus sum. Horū vnum hoc est, quod olim cū quibusdam alijs militibus

cimi-

cimiteriū quoddam in quo quampluri-
 mi vulgariū ob maiorem securitatem se-
 ac sua contulerant infregi, ac bouem v-
 num rustico cuidam violenter abstuli. I-
 tem terræ quæ mei iuris non erat, iniu-
 stas exactiones imposui, quas ab inhabi-
 tantibus multo tempore mihi reddi coë-
 gi. Rogo ergo vt fratrem meum Ansel-
 mum adeas, eumque ex me depreceris,
 quatenus ablata, vice mea restituat, eis-
 que quibus iniurias intuli, pro me satisfa-
 ciat. Quod si fecerit, à poenis quas patior
 absque dubio liberabor. Sed noui ego
 fratris duritiam, & quod tibi ista referen-
 ti nullatenus acquiescet. Sit ergò quod
 dicturus sum tam tibi quam illi in signū,
 vt de rei certitudine, nulli vestrum liceat
 dubitare. Seis ipse pecuniam, quam in ar-
 ca repositam habebatis, & qua ad sanctū
 Iacobum ire disponebas? Hanc cum do-
 mum redieris, inuenies furto sublatam.
 Apparui insuper antequam ad te veni-
 rem, Guilielmo noto tibi militi de castel-
 lo. Moras in ipsa domo sua, à quo uni-
 uersa quæ tibi nunc à me dicta sunt, post-
 quam requisieris, audies. Dixit hæc, &
 statim ab oculis meis euauit. At ego ti-
 more cumulatus, & quia cum mortuo
 verba contuleram de vita diffidens, inde

quam citius potui, recessi. Domum ut
 veni, arcam meam fractam, & pecuni-
 am, quam dixerat, sublatam inueni. Mi-
 litem cui se loquutum indicauerat adij,
 & ab eo cuncta quæ dicta fuerant, vera
 esse cognoui. Fratrem autem defuncti adire
 facultas non fuit, quia per dies aliquot
 absens extitit. Interea dum quadam die
 re familiari urgente, iter agerem, diuerti
 in amœnum locum secus viam, vbi sa-
 licum magna multitudo quasi cuiusdam
 syluæ secretum æmulabatur. Ibi ergo
 paululum requiescere volens, cōsedi. Nec
 mora conspicio iam dictum militem ar-
 ma solita præferentem, mihi astare. Cum-
 que ego duplicato timore turbatus, in-
 verba prosilire tentarē, prior ille: Ha in-
 quit Domine Stephane, quam bonum
 nuncium quem pro salute mea fratri di-
 rigerem, vos elegi. Putabam equidem vos
 mihi compati, sed ut video, quomodoli-
 bet me habeam vos non curatis. At ego
 multò magis adauctò timore, ut potui,
 respondi. Non inquam dissimulādo quæ
 rogaueras distuli, sed quia fratrem cui me
 direxeras nō inueni. Iā verò ut discesseris,
 absque mora aliqua ad eum ibo, & quæ
 primò rogaueras indicabo. Obsecro tan-
 tum, ut celeriter discedas, quia valdè cor-
 meum

meum tui visione turbatur, neque me-
 tesum diutiùs confabulari patitur. Nihil
 (ait) tibi formidandum est, quia vt iam
 dixi, non vt ego tibi noceam, sed vt tu
 mei miserearis ad te venire permissus
 sum. His dictis disparuit. Ego autem mul-
 ta formidine compulsus, & nequaquam
 ultra legationem iniunctam differre au-
 dens, ad sæpe nominatum fratrem de-
 functi cum milite cui se reuelauerat ac-
 cessi, ei que cuncta per ordinem quæ fra-
 ter mandauerat narraui. Ille verò vt ho-
 mo totus mundo deditus, aut non cre-
 dens, aut paruipendens, quæ à me au-
 diebat, respondit. Quid ad me de anima
 fratris mei; habuit ille sua quamdiu vi-
 xit. Quare non pro se his quibus iniu-
 rias intulerat, satisfecit? Videat sibi. E-
 go peccatorum eius pœnitentiam age-
 re nolo. Hoc ab illo accepto respon-
 so, discessimus. Pauci dies transierant,
 & ego in domo mea solus residens,
 ea quæ videram mecum mente versa-
 bam. Cum ecce subito sæpe nominatus
 defunctus, non iam in equo, sed pedes,
 non armatus, sed inermis mihi assiste-
 re visus est. At ego nimio terrore fe-
 rè in amentiam versus, in hæc verba
 prorupi. Ex parte omnipotentis Dei

& ora-

& omnium sanctorum eius, adiuro te quicumque es spiritus, vt discedas, meque tantis terroribus exagitare desistas: & ille. Quia (inquit) taliter de aduentu meo turbaris, scito quia me vltorius in hoc seculo non videbis. Adhuc tamen tertio me tibi Deus apparere voluit, vt quod per fratrem nequeo, per te consequi merear. Debes & tu si bene perpendas, plus fratre, mei misereri. Ille enim frater carnalis, tu pater in Deo fuisti spiritualis. Et ego. Faciam inquam & ipse pro te quod potero, festinato tantum, oro, discede. Post quæ verba, statim ab aspectu meo subtractus est. Mox ego inde discedens, ad rusticum cuius se bouem abstulisse dixerat, iui, ei que bouis ipsius pretium reddidi. Nam & quis esset dixerat, & vbi maneret indicauerat. De sequenti autem negotio, quoniam vires meas excedebat, nihil agere præualui. Collecta tamen presbyterum multitudinem, in dicta die, solenniter Deo offerri sacrificia feci, elemosinasque pauperibus pro posse distribui, multosque tam clericalis quam monastici ordinis viros, vt pro eo Domino supplicarent orauit.

Nota.

De

De Guidone Gebennensi Episcopo.

CAPVT XXIV.

POST hanc quam præfatus sum visionem, Gebennensis Episcopus Guido in medium adducatur, & quid huic miraculo simile de eo contigerit, exponatur. Fuit hic magnæ secundum seculum, nobilitatis, & ideo multò plus quam Episcopum decuisset, vitæ dissolutionis. Nam cum esset frater Aimonis Iulesdem vrbis comitis, tam seculari generositate, quam ecclesiastica dignitate confusus, potentia atque diuitijs vndique circumfluus, plus mundo quàm Deo, magis carnalibus, quàm spiritualibus actionibus inseruiebat. Cumque multa agenda negligeret, nec facienda faceret, misericordix tamen operibus toto annisu instabat, eleemosynam largiter egentibus distribuens, esuriendos reficiens, nudos vestiens, querelas afflictorum patienter audiens, & multis pro posse benignè subueniens. Ecclesiasticas personas, & maxime quos religiosiores esse audiebat, magnificè honorabat, monachis præcipuè totum cordis sui affectum impendebat. Quibus non solum venerationis obsequium, sed multa & de rebus proprijs

confe-

conferebat. Inter quos singulari amore fratres Cluniacenses amplectebatur, & eis ob spem æternæ mercedis plurima largiebatur. Nam vt reliqua taceam quæ eis vir nobilis liberaliter contulit, sexaginta & eo amplius ecclesiarum redditus, diuersis ad Cluniacum pertinentibus monasterijs in perpetuum dedit. Hoc modo temporalis vitæ cursu transacto, in bona confessione, cum peccatorum poenitentia ac cordis contritione, sicut mihi testati sunt qui adfuerunt, ab hac luce recessit. Hunc post mortem diuerso modo plurimis apparuisse, quidam referunt. Quarum visionum quia certum auctore inueniri non valui, idcirco dubia scribere recusavi. Vnam tantum de omnibus elegi, quam propter rei probatæ fidem, dignam hic inferi iudicavi. Successor ipsius Episcopus synodum Gebennis vix anno post eius discessum exacto celebrabat. Veniebant ad eandem synodum presbyteri more Ecclesiastico, inter quos quidam boni testimonij presbyter properabat. Hic in itinere casu, immo diuina voluntate à focijs aliquanto spatio separatus, obuium habuit iam nominatum defunctum Episcopum. Qui cum insolito occurſu turbatus aliquandiu hæ-

sisset,

fisset, tandem vtrum esset qui videretur
 defunctus Episcopus, ab eo quaesuit.
 Quo se verè esse respondente, presbyter
 adiecit, Et quid est (ait) Domine, vel quæ
 causa te mihi cum sis mortuus visibilem
 fecit? Ad quem Episcopus. Clementia
 (inquit) diuina, vt meæ necessitati sub-
 uenias, me tibi apparere permisit. Noui e-
 nim te ad synodum properare. Oro ergò
 vt sacrum conuentum adeas, eorumque
 me orationibus studiosè commendes.
 Laboravi enim, & multa à tēpore mor-
 tis meæ tormenta sustinui. A quibus in-
 proximo erui potero, si eorum oratio-
 nibus merear adiuuari. Dic ergò Epif-
 copo & cum eo congregatis, vt omni
 die concilij Psalmum, Misere mei De-
 us, mihi simul omnes decantent, & com-
 muni absoluteione vniuersi animam
 meam Deo commendent. Sacrificijs in-
 super salutaribus, atque elemosynis, di-
 uinam maiestatem pro requie mea pro-
 pitare contendant. Nouerint autem
 me ad agendam poenitentiam Clunia-
 cum iturum, & inde ad eandem pera-
 gendam Hierosoly-nam transiturum.
 Hæc omnia cum eis dixeris, nomen tan-
 tum meum vltimo die synodi dicendū
 reseruabis. Quæ postquam dixit, ab
 oculis;

oculis colloquentis euauit. Presbyter
verò cui hæc commissa fuerant gressum
accelerans, ad synodum venit, & vniuer-
sa Episcopo fideliter coram omnibus ex-
posuit. Cumque multos credere, quosdã
autem dubitare videret, Euangelij codi-
cem afferri rogauit, & vt cunctis fidem
faceret, iureiurando quæ dixerat confir-
maturus, manum constanter super sacrũ
volumen extendit. Quem omnes ad ea
probanda absque dubio paratum viden-
tes, eum ne iuraret compescuerunt, & qui
antea dubitauerant, omnem à corde suo
dubietatis scrupulum abiecerunt. Sed &
alter ex insperato testis surrexit, qui hæc
eadem omnia à defuncto Episcopo sibi
dicta, vniuersis admirantibus confirma-
uit. Vnde & bonæ oues mandata olim
pastoris sui benignè suscipientes, cuncta
quæ mandauerat deuotè impleuerunt, &
plurima ex abundante cordis sui caritate,
spontanei addiderunt. Hoc ab illis mihi
personis dictum est, qui omni fide digni
synodo memoratæ interfuerunt, &
ca quæ dixi, referentibus eis-
dem relatoribus au-
dierunt.

*De quodam presbytero terribiliter
mortuo.*

CAPVT XXV.

IAM nunc subiungenda est, non ante mortui sed morientis presbyteri terribilis, & multis nota visio, quæ audiētium mentes digno timore concutiat, & ad cauenda æternæ mortis mala, velut vehementi sollicitudinis igne accendat. Apud castrum Liziniacum, quod in Pictauiensi pago situm est, nuper quidam presbyter eius, qui sacerdotalis ordinis supercoelestem dignitatem, miserrimæ vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum quibus præerat curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam, sacro ministerio utebatur. Qui iuxta Prophe- *Eze. 34.* tam, lac gregis sui comedens, & eius se lanis operiens absque vlla spe æternorum, mercedibus mercenarij auidissimè pascabatur. Mundissimam atque omnia mundantem Christi carnem & sanguinem in altaris sacramento frequenter officio non deuotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumque vt sus immunda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & sui ipsius scortis delectaretur, ter-
ritus

ritus conscientiae malo sicut aliquando
& mali ad horam compunguntur, fami-
liaritatem quorundam bonorum viro-
rum expetijt, & abbati bonae vallis ac fra-
tribus eiusdem monasterij se in amicitia,
specie tenus copulauit. Qui longo tem-
pore cum de vitae emendatione com-
monentes, & vt seculo renunciaret assi-
duè exhortantes, nihil ab eo impetrare
praeter inanem spem aliquandò potue-
runt. Nam libenter quae dicebant audire
se fingens, & semper eos de conuersione
suspendens, de Societate Sanctorum illo-
rum gloriabatur, nec admonitione vel
exemplis eorum à malis retrahebatur. In
his atque alijs perditae atque perdendae
vitae suae actibus perdurans, & obstinatio-
ne impia iram sibi in die irae thesaurizans,
in morbum incidit, quo post aliquot
dies ingrauescente, ad extrema peruenit.
Adierat eum visitationis gratia prior iam
dicti monasterij, atque cum eo per ali-
quantum diei spatium, ipso quoque ro-
gante permanserat. Et ecce nocte super-
ueniente, cum cunctis discedentibus so-
lus lecto eius affideret, clamare terribili-
ter aeger ille ad priorem coepit, Succurre,
ait, succurre. Ecce duo supra omnem fe-
ritatem expauescendi leones in me im-
petum

petum faciunt, hianti ore ac rictu feroci per frustra discepturi, me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hic & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retrò cedebat. Prior verò vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat. Ad preces tamen ipsa necessitate impellente conuersus, pro misero illo vt poterat Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger; benè, inquit, benè. Recefferunt crudeles bestie, & per orationes tuas iam vltra nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper compos sui exitit, nec vt quidam morientiu solent vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti sanissimus coepit. Cumque tam de his quam de alijs multa inter se verba conferrent, horæ ferè vnus spatium elapso, rursus inclamare longè terribilius quam primò exorsus est. En inquit: en ignis de celo vt torrens inundans descendit, & super huc lectum meum veniens, iam iamque me in fauillam vsque cõburet. Festina adiuua, ora,

ua, ora, si forte & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus & brachijs opertoria subleuabat, eaque velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat. Sed nequiequam. Non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendijs tegere poterant, quem cœlestis vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuò ad orationem cōuertitur, & quantam in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo vt supra orationi instante, post paululum, patiens gratulationis vocibus preces eius interruptit dicens. Quiesce, iā ab igne tutus sum. Nam dum super me (vt dixi) cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsque ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas quousque quis istorum finis futurus sit agnoscas. Tunc prior qui tam timore quam hospitandi necessitate recedere volebat, substitit: & ab oratione surgens, rursus ei assedit. Cumque eum tantis terroribus anxium consolaretur, & vterque ad inuicem vt prius colloqueretur, subito ægrotus ad inuisibilia raptus obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur.

Cum-

Cum ecce post multum noctis spatium, homo ad se redijt, & miserabiliter ingemiscens, ait: Ha ha ad iudicium æternum raptus sum, & heu miser æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo & angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce ecce, ignita sartago plena bullienti adipe, quàm coram me tormentorum ministri detulerunt, eamque ad me frigidum undique succenderunt. Et cum prior orationi sicut iam bis fecerat, tertio quoque iacubisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare, nec pro illo vltra fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente, frater redi ad cor, & misericordiam dum adhuc viuis à Deo require; ille adiecit. Putas (ait) me vt insanum loqui? Non insanio, sed sana mente quæ dixi confirmo. Et cucullam prioris manu tenens, eum interrogauit. Nonne hoc quod manu teneo cuculla tua est? Quo respondente, est, adiunxit. Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substatum mihi est palea est, sic & hoc quod coram cerno ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa quam dicebat sartagine exiens, in manum eius Priore vidente ce-

F

cidit

cidit, & mirabile dictu, cutem & carnem
 vsque ad intima ossis consumpsit. Tunc
 ille acri cum gemitu: en (inquit) indu-
 bia rei probatio. Nam sicut ista quam vi-
 des de sartagine prolapsa gutta, carnis
 partem consumpsit, sic confestim to-
 tum me ignea vorago consumet. Priore
 ad ista stupente, iterum dixit. Ecce sarta-
 ginem ipsam ministri infernales propius
 afferunt, & vt me in illam iniiciant, iam
 iamque manus adaptant. Et post modic-
 um. Ecce linteum in quo iaceo vndi-
 que concurrentes accipiant, & me in ig-
 nitam sartagine, æternum frixuram
 proijciunt. Hoc velut vltimum vale, mox
 vt Priori, atque his qui ad hoc horren-
 dum spectaculum conuenerant, dixit,
 subtracta voce ac reflexa ceruice, punien-
 dum spiritum condemnatis spiritibus
 tradidit. Tantus verò terror omnes in-
 uasit, vt illicò vniuersi auferent, ne-
 que aliqui in domo vbi cadauer mor-
 tis remanserat, remanere auderent. Facto
 mane miserum cadauer sepulturæ man-
 datum est Post aliquot autem dies, cum
 ad vniuersos circa positos hæc tam terri-
 bilis fama peruenisset, rei veritatem pro-
 bare volentes, tumulum aperuerunt, at-
 que fossam illam quam in manu adhuc
 viuen-

viuentis presbyteri gutta prænuncia dā-
 nationis fecerat, in mortui cadauere in-
 uenerunt. Quæ omnia, secundum quod
 beatus Gregorius dicit nullo modo pro-
 pter se infelix presbyter vidit, cui nihil vi-
 sio ipsa profecit, sed quanta cautela sacer-
 dotale officium administrandum, quàm
 reuerenter diuina mysteria tractanda, su-
 perna per eum dispositio demonstrauit.
 Quis enim ad ista non obstupescat, quis
 tam metuentā diuinæ animaduersionis
 sententiam non contremiscat? Quis iam
 in istis non fidem inuisibilium se conce-
 pisse, sed ipsa inuisibilia corporis sensibus
 ex multa parte subiecta esse non cognos-
 cat. Facit hoc pia conditoris miseratio, qui
 cernens corporalium rerum obiectu, in-
 teriorem mentis humanæ oculum exce-
 catum, quædam de spiritualibus rebus
 etiam per carnem quibusdam innotesce-
 re præstat, ut ad amanda siue timenda in-
 uisibilia, hoc saltem remedio vel admo-
 neat vel cōpellat. Quid enim apertius ad
 fidem fidelium instruendam, quam ho-
 minem in carne viuentem, & hic integra-
 mente colloqui cum hominibus, & ibi
 spiritualia cernere cum spiritibus? Quid
 sanè leones tremendi, quid flammeus
 torrens, quid ignita sartago aliud quàm

Nota.

de veritate rerum inuisibilium nullatenus dubitare, & horrendum esse in manus Dei viuentis incidere, malè securos admonebant? Neque enim credendum est, alibi quam in præsentis seculo quarumlibet ferarum genera commorari, aut vbi nulla metallorum materia est, ferreas sartagines fabricari. Sed quia terror supplicij futuri, non nisi per verba vsitata vel per expertarum rerum imagines, hominibus adhuc in carne viuentibus potest ostendi, placuit Deo per tales corporum similitudines ostendere: quid exuta corporibus animæ, prauis exigentibus meritis cogantur tolerare. Quæ licet antiquioribus miraculis, patrum temporibus demonstrata sint, voluit tamen etiam nunc diuina miseratio nouis reuelationibus priora confirmare, & eos qui vetera despiciunt, velut negligentis somno torpentes, recentibus impulsione excitare. Cuius supernæ admonitionis contemptores, tanto se maiore in Dei iudicio cumulo damnationis operiunt, quanto grauiore reatu, non solum antiqua sed & ante oculos posita contemnunt. Et quia ad fidei & morum ædificationem, varia à diuersis audita & probata nostrorum maximè temporū miracula scribere

scribere cordi insedit, nolui aliqua negligere quæcunque auditoribus meo iudicio posse videbantur prodesse.

De Gaufrido Sinemurenfi Domino.

CAPVT XXVI.

GAUFREDVS vir nobilis, Dominus castri quod Sinemurum vocatur, postquam per multum tempus magnificè in seculo conuersatus est, tactus diuino spiritu, mundo renunciauit, atque cum filio & tribus filiabus apud Cluniacum habitum religionis induit. Vbi sanctè ac sine querela diu conuersatus, meritò religionis atque prudentiæ Marciniacensium sororum, quarum superius mentionem feci, prior effectus est. Quarum curam dum per aliquot annos humiliter & benignè administrasset, more mortalium molestia corporis tactus, defunctus est. Cuius simplicis & beatæ conuersationis dulcem retinentes memoriam sorores multis lachrymis eius funus prosecutæ sunt, eumque in ecclesia sepelientes, longè melius in cordium suorum abditis condiderunt. Qui non post multos obitus sui dies, cuidam sororum multæ mortificationis quæ Alberca dicebatur, in somnis apparuit: ei-

que dixit. Agnoscis me? Quæ cum trepidanda voce, vt post ipsa referebat, respondisset; Dominum Gaufredum priorem suum sibi videri: adiunxit ille. Sum equidem quem dicis, & vt ea quæ circa me sunt tibi nota faciam, ad te directus sum. In hora exitus mei, maligni spiritus cum horifico sonitu inuerunt, & me velut agmine facto vndique circumdederunt. Cumque ad eorum aspectum territus, iam iamque me ab eis rapiendum suspicarer, subito beatus Petrus apparuit, & illud dæmonum collegium præsentia sua perturbans, ait. Quid huc ad istum nequam spiritus aduenistis? Noster est, inquit, & nostra dum in seculo vixit, opera fecit. Sed pro his (inquit) omnibus ex corde poenituit, & quod maius est seculo renunciauit. Et dum plurima hostis opponeret, & Apostolus vniuersa quæ dicebantur vera ratione purgaret, ad hoc tandem victus inimicus prorupit. Vnum (ait) superest quod nullo cassari argumento potest. Vestibus ac telis quæ vndecunque abluendæ ad castrum de Sinemuro deferuntur, nouas exactiones imposuit quas nec ipse nec aliquis post eum remouit. Manente ergo peccato, necesse est manere & poenam peccati. Ad quod

Apostolus

Apostolus. Nihil (inquit) excipiens, pro *Contra*
 omnibus peccatis suis monachus factus *novas*
 est, & idcirco absque dubio in partem sa- *exactiones.*
 lutis vocandus est. Hoc dicto, hostibus
 in fugam coactis, me ab eorum terro-
 ribus liberauit. Superest, vt filio meo
 Gaufrido, qui mihi in seculari hæredita-
 te successit, hæc nota facias, & vt prauam
 exactionem ad priorem reducat consue-
 tudinem, ei ex mea parte dicas. His di-
 ctis abcessit. At nominata soror, domi-
 nam Adelam Regis Anglici sororem,
 prius Blesensem Comitissam, nunc hu-
 milem Christi ancillam adiens, ei vni-
 uersa narrauit. Quæ iam dictum Gaufre-
 dum accersiens, vtrum aliquid nouæ cõ-
 suetudinis telis ac vestibus quæ sub ca-
 stro abluebantur, pater eius imposuerit,
 requisit. Quod cum verè vt defunctus
 dixerat ab eo cognouisset, non illusoriam
 sed veram fuisse visionem agnouit, quàm
 à veraci & hic ante nesciente relatrice au-
 diuit, & quam subsequenter qui rem no-
 uerat, testimonium confirmauit. Et hæc
 eadem mihi fuit causa istud scribendi, vt
 licet inter miracula solas vigilantium re-
 uelationes scribere proposuerim, illas
 tantum dormientium visiones stylus
 iste non abhorreat, quas circumstan-

dum rerum ratio certa confirmat. Rogauit certè, & ex defuncti patris mandato filium admonuit, vt nociuum exactio- nis vsum remoueret, & ne sibi quoq; in peccatum reputaretur, sollicitus provide- ret. Quod vtrum fecerit, non satis mihi cognitum fuit. Quid verò illis qui dor- mientium visiones despiciunt, respon- dendum sit, non multo labore opus est. Facile enim occurrit, vnde & risus illudè- tium reprimatur, & non omninò huius- modi reuelationes contemnendas esse, tardis etiam intellectibus aperiatur.

De milite mortuo qui apparuit Humberto Beliocensi.

CAPVT XXVII.

ADIUNGATUR supradictis vi- sionibus recentior, & penè sub ipsis oculis nostris facta reuela- tio, de qua si quis dubitauerit nescio cui iam miraculo credere possit. In tanta enim claritate res acta est, & tam solemni- ter à fidissimis testibus propalata, vt qui hoc obscurum putauerit, nihil de reliquo clarum reperire in consimilibus valeat. Anno quo in Hispaniam profectus sum res contigerat, quam tanta celeritate sti- lus profectus est, vt cū ipsa in Lugdu- nensi

nensi dioecesi post natalem Domini pro-
 uenerit, ego hanc eodem anno in Hispani-
 ijs ante pentecosten memoriæ scribēdo
 mandauerim. Hoc eadem causa præmissi,
 ne vetustate temporis corrupta rei fama
 putetur, cuius certitudinem Cluniaci sus-
 cipiens, quia ante non potui, in Hispanijs
 vt dictum est scripturæ mandauit. Est in
 Matisconensi Episcopatu castrum quod
 Belocus dicitur: quod tam sui nobilitate
 quam prudenti Dominorum strenuita-
 te, penè omnia adiacentia castra præcellit.
 Huius Dominium Guicardus hæredita-
 rio iure suscipiens, eos quibus successerat
 patres licet strenuos viros, seculari poten-
 tia fama que excessit. Qua magis ad mū-
 danum factum quam ad diuinum obse-
 quium vtens (vt de talibus sæpè vide-
 mus) dies vitæ suæ ex maxima parte va-
 nitati & mundanæ superbiam in penden-
 do, multoque labore velut aranearum
 telas texendo, consumpsit. Tandem diu-
 rurno morbo à Deo correptus, ipsaque
 diuturnitate de vita diffidens, Cluniaci
 meo tempore monachus factus est. Vbi
 corde humiliato, pœnitentia & confes-
 sione christiana, quantum datum fuerat,
 Deo satisfaciens, orationibus se sanctorū
 fratrum committens, paucis diebus ad-

vixit, atque ad vltimum peregrini itin-
ris viatico, hoc est, sacro Christi corpore
suscepto, diem vitæ vltimū clausit. Hinc
in paterna hæreditate filius eius Hum-
bertus succedens, adolescentia & diuitiis
velut fortibus catenis mundo affrictus,
spatiosas seculi vias damnosa libertate a-
liquamdiu effrenis incessit. Quem corri-
gere, atque ad rectum salutis iter bonitas
diuina reducere volens, ostendit ei vnde
& ipse saluari, atq; alij à cõsimilibus pos-
sunt actibus deterreni. Nam quodam tẽ-
pore contra quosdam qui in Forensi pa-
go ei aduersabantur armis commotis, cū
exercitu contra eos processit, atque in cõ-
flictu constitutus, vnum ex strenuis mili-
tibus suis Gaufredum de Iden, ictu lan-
cæ confossum amisit. Prælio direpto ad
sua quisque vel fugiens vel persequens
recessit. Necdum plenè duo menses tran-
sierant, & ecce iam dictus miles quem in-
terfectum retuli, cuidam alteri militi de
Ansa qui Milo vocabatur, per syluam ei-
dem castro contiguam sine socio æqui-
tanti, se obuium obtulit. Ad cuius subi-
tum cõspectum dum miles obstupuisset,
& timore non modico turbatus, vtrum
fugere an subsistere sibi satius esset, medi-
taretur, mortuus qui apparuerat, prior in

VER-

verba prorupit. Noli (ait) timere, neque
 effugere mediteris, quia non vt ego tibi
 noceam, sed vt tu mihi prodesse studeas,
 ad te venire permissus sum. Ad te enim
 præ omnibus veniendi licentiam acce-
 pi, quoniam tam amore quam fideliter
 mihi nuper in seculo astrictus, iniuncta
 tibi à me alijs fidelius executurus vide-
 ris. Rogo igitur vt legationem meam
 Humberto de Beliocho deferas, atque vice
 mea, quæ tibi dixero ei denunties. Mor-
 talem ego vitam leuitate eius inuitatus,
 gladio vt nosti amisi, & ne ad beatam vi-
 tam transire merear, negligentia eius et-
 iam nunc promerente retardor. Nam ad
 prælium vbi viuendi finem feci, non sa-
 tis iusta de causa cum eo veneram, nec à
 diris cruciatibus quos pro peccato illo &
 alijs innumeris malis meis patior, ali-
 quod beneficiorum spiritualium leua-
 men accipio. Sed quid mirū se obsequijs
 meis & morti meæ sibi impensæ ingra-
 tus apparet, cum nec de requie patris sui
 qui suam æternam pro eius temporali
 quodammodo neglexit salutem, semel
 vel in modico curare demonstret? Nam
 cū ille pro multis quæ ei iniuste acqui-
 sit, pro innumeris malis quæ diuersis ec-
 clesijs & maximè Cluniacensi intulit, spe-
 ciali-

cialiter verò pro castello & terra de Aia, crudelia patiatur tormenta: ipse absque aliqua poenarum eius contemplatione lætatur, & his pro quibus ille nunc miserimè ingemiscit, ipse quotidie splendè epulatur. Misereatur ergò mei, misereatur & patris, ne fortè si modo nobis miseris misereri noluerit, miserorū & ipse numero celerius adiungatur. Nā si missarum celebratione, eleemosynarum largitione, bonorum virorum apud Deum intercessione nos iuuare studuerit, & celeriore nobis salutem parabit, & seipsum debito quonobis astringitur liberabit. Quod si tibi aut nō crediderit, aut nō obtemperauerit, necesse iam erit per memetipsum eum adire, atque vt hæc adimpleat instare. Scias autem multum iam mihi profuisse, factam nuper Lugduni in synodali conuentu publicam absolutionem, vnde talium & consimiliū tam ardentè deprecor subuentionem. Dixit hæc, & statim à conspectu eius euauit. At miles sollicitus de iniunctis, ac veritus ne si dissimularet, aliquid infortunii eum consequeretur, Humbertum addit, & quæ audierat cuncta referens, nihil de mandatis abscondit. Humbertus verò tantæ tamque apertæ visionis legatione

No. valent publica absolutiones defunctis.

tione audito, condigno timore perterritus, & ad audita pauebat, nec tamen auditis congruam diligentiam adhibebat. Verebatur magis more huiusmodi hominum promissum defuncti aduentum, minorem de salute eius animo gestabat affectum. Vnde solus noctibus iacere formidans, familiares ne se casu aliquo solum relinquerent, admonebat. Et ecce paruo tempore emenso, iam dictus defunctus quem tormenta inuisibilia compellabant, nutu diuino communicare verba mortalibus permittus, ei mane iam clara die in lecto iacenti, ac vigilanti, sese visibilem demonstraui. Nam lecto eius assidens, & formam quam habuerat, vestitum quo usus fuerat, lethale vulnus quod die mortis susceperat, velut adhuc recens pectore ac dorso prætendens, mirantem ac pauentem Humbertum sic est allocutus. Quia (inquit) nuncium à me tibi missum audire noluisti, ad te ipse Dei permittente misericordia veni. Cum enim te mihi maximum debitorem vita mea tibi impensa fecerit, ac benignum in malis maximis subuentorem misericordia facere debuerit, tu nec mihi subuenis, nec saltim paruo spiritualis beneficii adiumento, crudelia quæ patior tormenta mitigare

contendis. Super hæc, & patrem tuum miserandis pœnis atque ineffabili miseria subiectum, post tergum proiecisti, & cum ille maximè tui causa torqueatur, nullis ei pietatis visceribus condescendis. Ingemiscit ille in tormentis crudelibus, nec curas? torquetur & exultas? patitur & lætatis? Displicet ista benigno Deo, & penè iam in necem tuam sententiam dictauit: vbi quia his quibus maximè debitor es misereri dissimulas, qualiter misereri debueris, patièdo similia experieris. Sed distulit solita bonitate iustitiã: & ne expeditioni comitis Amedei ad quam ire festinas interis, me tibi denunciare permisit. Nam si illuc abieris, possessa pariter & vitam amittes. Consule ergò tibi, miserere & nostri, nec vltra spirituum bonorum leuamen nobis impendere differas: vbi & tibi salutem, & nobis requiem, conditoris clementia mediante provideas. Dum ergò ita mortuus miles Humbertum alloqueretur, & ille longa confabulatione iam securior redditus, ad respondendum vel ad interrogandum verba pararet, eius consiliarius VVichardus de Marziaco strenuus in secularibus miles, ab ecclesia matutino tempore rediens, superuenit. Qui mox
vt li.

ut limen domus ubi vivo mortuus colloquebatur attigit, mortuus qui appa-
 ruerat statim disparuit. At Humbertus condigno paucifactus timore, mortui mi-
 litis petitioni ei aliquatenus subuenien-
 do ex parte satisfecit, seque pœnitentiæ
 causa Hierosolymam iter aggressurum,
 & sepulchrum Domini visitaturum pro-
 fessus est. Hæc ad ædificationem fidei & *Nota*
 morum scribens, quibusdam hæreticis
 vel erroneis nostræ temporis hominibus,
 beneficia ecclesiastica mortuis fidelibus
 posse prodesse vel negantibus vel du-
 bitantibus, ad viam veritatis & eccle-
 siæ doctrinam reditam persuadere vo-
 luit: neque tamen spe talium subsidio-
 rum vitam mortalem sub negligenti-
 a transigendam, talibus tamque lu-
 cidis exemplis admonere decreuit. Ec-
 ce enim superna pietas quæ miserum
 in inferno sepultum audire noluit, pro-
 fratribus rogantem, si quis ex mortuis
 ierit ad eos pœnitentiam agent, sed
 mentis eorum duriciam prænoscentis re-
 spondit: Si Moysen & Prophetas non *LHC. 100*
 audiunt, neque si quis ex mortuis re-
 surrexerit credent: eadem inquam di-
 uina bonitas nostris diebus, non qui-
 dem corpus mortuum suscitauit, sed
 mor-

mor-

mortui corporis spiritum vel imaginem
 uiuentibus apparere, eosque ad poenitē-
 tiam & ad sibi subueniendum admone-
 re & deprecari permisit. Cesset igitur iam
 noxius error, spiritus fidelium precibus
 & bonis ecclesiae iuuari non credens. Ex-
 citetur quoque ignaua segnicies, aliorum
 post mortem bonis dormitando saluari
 confidens, sciatque pro certo, quia nisi
 quae opera condigna saluti praecesserint,
 cum post transitum aliorum subsequen-
 tia bona saluare non poterunt. Sed si talia
 eius opera fuerint, ut gratia Dei comita-
 te damnationem aeternam merito eua-
 dere debeat, iam si quid de reliquo im-
 perfectionis remanserit, tam sanctorum
 mortuorum meritis, quam uiuentium
 fidelium beneficijs, expiari poterit.

*Item de alterius apparitione in
 Hispania.*

CAPVT XXVIII.

ET quia semel Hispanias ingressi
 sumus, quod in eisdem partibus
 de re simili contigisse ibidem con-
 stituti audiuius, praetereundum non
 est. Est in Hispanijs partibus nobile & fa-
 mosum castellum, quod & propter con-
 gruam

gruum situm, & fertilitatem adiacentiū
 terrarum, & multitudinem inhabitan-
 tium incolarum, quibus rebus proxima
 castella exuperat, vt æstimo non incon-
 grue stella vocatur. In hoc castello qui-
 dam Burgensis fuit, qui Petrus Engel-
 berti vocabatur. Hic strenuitate famosus,
 & secularibus rebus abundans, totam vs-
 que ad senium ferè vitam in seculo du-
 xit. Tandem tactus ab illo, qui spirat vbi
 vult, seculo renunciauit, atque in mona-
 sterio quod apud Nazarium sub Clunia-
 censi iure & regula constructum est, ha-
 bitum monasticæ professionis suscepit.
 Quo, cum ego post duos annos conuer-
 sionis eius, peruenissem, audiui eum me-
 morandam visionem narraſſe, cuius qui-
 dem fama ad nos ante peruenerat, sed
 quis esset eius relator non dixerat. Hoc
 cum accepissem, vbi esset tantæ visionis
 relator sollicitus inquisiui, atque eum
 in quadam cella Nazarenſi monasterio
 subdita, satisque contigua, commorari
 audiui. Ad quem locum cum me itine-
 ris necessitas perduxisset, vidi hominem
 cui & ætatis maturitas, & morum graui-
 tas, & cunctorum attestatio, ipsaque ni-
 uea canicies, fidem integram constanter
 præbere suadebant. Omnem tamen du-
 bic-

bic-

Psal. 1.

bietas scrupulum tã à corde meo quã à
 cordibus omnium excludere volens, co-
 ram venerandis episcopis , Olorensi &
 Oximensi, coram socijs nostris , multæ
 religionis & scientiæ personis , ac qui-
 busdam alijs eum conuenit, & quod ve-
 ritas perdat omnes qui loquuntur men-
 dacium ostendens , multa que similia ad
 eum ne mentiretur deterrendum adiun-
 gens, vt quod certum de visione illa scie-
 bat narraret, non solum admonui, sed et-
 iam in virtute obedientiæ, quam mihi vt
 monachus abbati subditus debebat in-
 iunxi. Ad quod ille quod adhuc prorsus
 nos omnes latebat adiiciens, ego (ait)
 istud quod à me quæritis ab alio non ac-
 cepi, sed ipse proprijs omnia oculis vidi.
 Quo audito, multo magis exhilarati su-
 mus habentes iam non alienorum ver-
 borum relatores, sed rei ipsius certissi-
 mum inspectorem. Vnde magis magisque
 ad quærendum instigati, & ad audiendum
 intenti, moram pati vltra non potuimus,
 sed vt quod viderat enarraret, eum om-
 nes compellere coepimus. Volo autem
 eum loquentem introducere, vt quicūq;
 hoc legitis, vel auditis, nō solum sensum
 verborum, sed & ipsa verba ab eius ore,
 vos putetis audire. Tempore (inquit)
 quo

quo rex Aragonensis Alfonsus, regnum maioris Alfonsi Hispaniarum regis iam mortui obtinebat, contigit vbi contra quosdam qui in regione, quae castella dicitur, ei repugnabant exercitum commoueret, & vt de singulis regni sui domibus, singuli illuc pedites vel equites dirigerentur, edicto sanciret. Eo praeccepto coactus, vnus ex mercenarijs mercede mihi seruiantibus Sancium nomine, ad exercitum destinaui. Paucis post diebus decursis, omnibusque qui expeditioni illi interfuerant, ad propria redeuntibus, ipse quoque domum reuersus est. Non longo deinceps tempore elapso, more humano morbo correptus, nec diu cum morbo luctatus, defunctus est. Inde post quatuor fere menses ex quo e vita recessit, dum apud stellam in domo mea hyemali tempore iuxta iguem in lecto iacerem, subito iam dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilianti apparuit. Qui igni assidens & carbones quasi ad calefaciendum vel ad clarificandum huc illucque reuersas, multo magis se mihi cognoscibilem demonstrabat. Erat autem nudus & absque omnivestitu, excepto paruo vilique tegumeto, quo velut inhonestiora corporis obuelabat. Quem

cum

cum vidissem, quis inquam es tu? At ille humili voce, ego sum (inquit) Sancius famulus tuus. Quid (inquam) hic agis? Vado (inquit) Castellam, iterque meum multus exercitus comitatur, vt vbi deliquimus, ibi & delictis penas debitas exsoluamus. Et cur (inquam) huc diuertisti? Et (inquit) mihi spes veniæ, & si misereri volueris, celerioremi mihi requiem comparare poteris. Quo inquam? quando (inquit) nuper expeditioni, quam nosti, interfui, hostili inuitatus licentia, ecclesiam quandam cum quibusdam socijs inuasi, quæ intus inuenta sunt diripi, vestimenta insuper sacerdotalia mecum rediens asportauit. Pro quo specialiter diris pœnis subactus affligor, & remedium à te sicut à Domino meo, quãtis possum precibus imploro. Nam poteris mihi subuenire, si beneficijs spiritualibus me studueris adiuuare. Rogo insuper dominam meam vxorem tuam ex mea parte, mea functus vice deprecari, nec octo solidos quos pro seruitio meo, mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur, & quod necessitatibus carnis si adiuuerem reddidisset, animæ meæ longè amplius his egenti erogando eos pauperibus largiatur. Iam ego tali eius collo-

collocutione multo magis animatus,
 (quid (inquam) de conciuē nostro Petro
 de Laca nuper defuncto actum est? Rogo
 ut si quid de illo nosti, aperias. Illum (ait)
 opera misericordiæ, frequenter quidem
 sed maximè præteritæ famis tempore
 pauperibus impensa, beatorum requiei
 adiunxerunt, & vitæ æternæ participem
 effecerunt. Cumque eum tam promptè
 & facillè mihi respondere audissem, adie-
 ci. Et de Bernerio alio conciuē nostro, an-
 te paruum tempus similiter ut nosti de-
 functo, aliquid tibi notum est? Illum (in-
 quit) infernus possidet: qua ad dirimen-
 das lites & iudicio terminandas huic
 villæ prælatus, multa sæpe muneribus
 aut gratia illectus iniuste iudicauit, &
 quia cuidam pauperi viduæ quodam tē-
 pore baconem vnum qualemcunque vi-
 tæ eius subsidium crudeliter auferre non
 timuit. Tunc longè amplius ad maiora
 quærenda animi feruore succensus, adiū-
 xi. De rege nostro Alfonso ante paucos
 annos defuncto, tibi aliquid notum esse
 potuit? Ad hæc quidam alius in fenestra
 capiti meo proximè superposita residēs,
 noli ait hoc ab isto quærere quod igno-
 rat, quoniam recens eius ad partes no-
 stras aduentus, hoc ei notum fieri non-
 dum

dum permisit. Mihi verò cui à die obitus mei quinquennalis cum huiusmodi spiritibus mora, plura quam isti nouiter nota fecit, quod de rege quæris, ignotum esse non potuit. At ego rursus nouæ vocis auditu attonitus, ac videre cupiēs vocis auctorem, cōverti oculos ad fenestrā, adiutusque lunæ splendore, quæ lumine suo omnem tunc domus spatium clarè illustrabat, conspicio hominem in inferiori fenestræ margine residentem. Quē in eodem habitu, quo alium videram, cernens, & tu inquam quis es? ego inquit huius quem aspicias socius sum, & castellam cum isto & multis alijs proficiscor. Et tu inquam de rege Alfonso, ut dicebas, aliquid nosti? Noui (inquit) vbi fuerit, sed vbi modo sit nescio. Nam aliquamdiu tormentis acerbis inter reos excruciatu postmodum à Cluniacensibus monachis inde sublatus est. Exinde verò quid de eo factum sit, prorsus ignoro. His dictis ad socium qui igni assidebat verba conuertens, ait. Surge, & iam iter inceptum peragere incipiamus. Ecce enim iam omnes vias quæ intus vel extra castellum sunt, subsequens nos exercitus sociorū impleuit, & iam multis velocissimè prætergressis, vbi festinan-

ter

ter eos sequi debeamus, vrgemur. Ad hanc vocem Sancius surrexit, & flebili voce quod prius rogauerat ingeminans, rogo inquit Domine, ne mei obliuiscaris, & vt dominam meam cōiugem tuā, quatenus quod corpori debebat miseræ animæ meæ restituat, oro sollicitus exhorteris. His dictis, statim vterque disparuit. At ego mox coniugem iuxta me in lecto dormientē, citata voce exsuscitans, priusquam ei quod videram vel audierā narrarem, interrogavi vtrum aliquid Sancio communi nostro mercenario pro mercede deberet. Qua respondēte quod ego nondum ab aliquo nisi à mortuo audieram, se videlicet eidem Sancio adhuc octo solidos debere, nequaquam vltra dubitare potui, cui fidem omnimodā & mortui relatio, & mulieris confirmatio conferebant. Facto manè, octo illos solidos à coniuge accipiens, & de meo quod congruum visum est addens, pro eius qui apparuerat salute, pauperibus distribui, & faciarum missarum adiutoria, ei à sacerdotibus mea prece & studio impensa, ad pleniorē peccatorum eius remissionem adauxi, hanc tam clarā & commendabilem visionem, velut verbū è verbo exprimens, ad ædificationē fidei

& mo-

Nota.

& morum tam modernis quam posteris
 fideli scripto transmissi, & quanta cautela
 mortalibus necessaria sit mortuorum i-
 pforum testimonio declaravi. Non parū
 autem, immò maximè veritati huius vi-
 sionis attestatur, quod à mortuo dictum
 est, Alonsum Regem à Cluniacensibus
 monachis sublatum, & à tormentis con-
 similium reorum ereptum. Nam quod
 omnibus penè Hispanis & Gallis popu-
 lis notum est, idem Rex Cluniacensis ec-
 clesie magnus amicus & benefactor ex-
 titit. Vt enim innumera alia pietatis ope-
 ra eidem monasteria ab eo impensa ta-
 ceam, magnificentissimus & famosus
 Rex censualem se regnumque suum
 Christi pauperibus eiusdem Christi a-
 more fecerat, & tam à se quam à patre
 suo Fredelanno constitutum censum,
 ducentas scilicet & xl. vini vncias singulis
 annis Cluniacensi ecclesie persoluebat.
 Præter hæc duo monasteria in Hispaniis
 ex proprio construxit, alia à quibusdam
 alijs personis construi permisit, & vbi
 construerentur adiuuit. In quibus Clu-
 niacenses monachos ponens, & vnde
 omnipotenti Deo regulariter seruire pos-
 sent, regia liberalitate affluenter largiens.
 Et penè emortuum monasticæ religio-
 nis

nis feruorem ex parte in Hispanijs reparauit, & sibi hoc studio post regnum tēporale, regnum etiam sempiternum vti dignum est credere, comparauit. Obtemperauit benignus Regis æterni præcepto, faciens sibi amicos de māmōna iniquitatis, à quibus amicis finita regni villicatione, secundum iam dictæ visionis tenorem, & à pœnis ereptus, & in æterna tabernacula susceptus est. Quid enim magis illi misericordie iusticiæ congruere potuit, quæ reddit vnicuique iuxta opera sua, quàm vt ab his eripi videretur quibus subuenerat, ab illis ei misericordia impenderetur quibus misertus fuerat: ab his beatæ vitæ restitueretur, quorum in miserijs præsentibus vitam, largis subsidijs sustentauerat? Verè non fallax vox *Apoc. 14.* de cœlis à Ioanne audita, opera mortuorum sequuntur illos, quod in isto non rege apparuit, quem per opera misericordie velut per eos quibus impensa est, à tormentis eripuit, & requiei beatorum spirituum sociavit.

*Explicit liber 1. Domini Petri Abbatis
de miraculis.*

G . PETRI



P E T R I

VENERABILIS

IN II. DE MIRACU-
LIS LIBRVM,

P R O L O G V S.



VONIAM ad roborā-
dam fidem & mores in-
struēdos, miracula no-
stro tēpore gesta, quo-
rum indubia cognitio
datur, scribere proposui, postea quę
præmissa sunt, alia quoque legenti-
bus, vel audientibus non minus vt
credo vtilia, adiungenda sunt. In
quibus vt supra iam dixi, nullū tē-
poris ordinem seruo, nullius gene-
ris miracula vito, sed sicut ea vel o-
lim didici, vel quotidie à diuersis &
fide dignis discere possum, scriptu-
ræ commendo. Doleo enim, & su-
pra quàm multis fortè credibile sit,
torpori multorum irascor qui cum
scientia, literis, atque eloquio abū-
dent,

dent, miranda omnipotentis Dei opera, quę saepe in diuersis terrarum partibus ad instructionē ecclesię fiunt, memorię posteriorū mandare scribēdo pigritātur. Et cū antiquus mos fuerit, non solum apud primos christianę fidei patres, sed etiā apud gētiles, vt quęq; digna memoria literis traderent, isti nec christianorū nec paganorū studia imitātes, vniuersa suis tēporibus accidentia, quę succedentibus nō parū possent esse vtilia, lāguentes animo perire permittūt. Cūq; dicat Deo diuin^o psalmus: cōfiteātur tibi Domine omnia opera tua; hoc est laudare de omnibus operibus tuis, quomodo de illis operibus Deus laudabitur, quę nesciuntur? Quomodo ab his, qui ea nō viderunt, scientur, nisi dicantur? Quoniam in memoria recedētium & succedētium temporum permanere poterunt, nisi scribantur? & cum omnia siue bona siue mala, quę vel volente vel permittente Deo, in mundo fiunt, ipsi^o glorificationi

tioni & ecclesiæ ædificationi inferuire debeāt, si ea homines latuerūt, quomodo de his aut Deus glorificabitur, aut Ecclesia ædificabitur? Ad tantā autem iā infructuosa huius silentij segnities peruenit, ut quæcumque in ecclesia Dei, siue in regnis Christianis, à quadringentis vel quingentis fermè annis facta sunt, vniuersa penè nobis & omnibus ignota sunt. Tanta .n. apparet distantia nostrorum temporum & priorum, ut quæ ante quingentos & mille annos gesta sunt, nobis notissima, quæ verò exinde ipsis quoque diebus nostris acta sunt, prorsus ignota sint. Inde est quod historijs antiquis, ecclesiasticis gestis, libris multiplicis doctrinæ, patrū instructiones & exempla continentibus, abundamus, eorum autem quæ temporibus nobis contigerunt, nescio si vel vnum habemus. Scrutabantur priores illi rerū vtiliū diligentissimi, etiam apud remotas gentes & ignotas linguas, si quid inde dignū & hu-

& humanis commodis inseruiens, possint eruere. Vnde Aegyptij Grecorum, Græci Latinorū, Latini Grecorum & Hebræorum siue aliarum gentium linguas & scientiam studiosè indagantes, inuicem sibi, quæ necessaria cognoscebāt, varijs scriptis, diuersisq̃ue trāslationibus cōmunicabant. At è conuerso, Latini nostri non solū nulla peregrina rimātur, sed nec sibi proxima cognoscere, vel alijs ea scripto vel verbo cōmendare dignantur. Sed redeat sermo ad proposita, & secūdū vires à Deo datas, si quid dignum vel utile inueniri potuerit, ad Dei laudem vel profectum legentium, modernis vel posteris manifestet.

CAPITVLA LIBRI
SECVNDI.

DE oppressore ecclesiarum, qui visibiliter raptus est à diabolo.
Cap. I.

II. De illo qui terra obrutus, per sacrificia & orationes ecclesia ab angelo pascetur. G 3 III. Ex-

- III. Excusatio quare scriptor horum in narrando non potuerit ordinem tēporum conseruare.
- IV. De ortu & adolescentia bona Domini Matthai Episcopi Albanensis.
- V. Qualiter venerabili Radulpho Remorum postea Archiepisco adhaferit.
- VI. Quomodo ad monasticam vitā aspirans, ecclesiasticos honores dimiserit.
- VII. Quod propter celebrē religionis famā Cluniacēsiū eligēs, apud S. Martinū de Cāpi monachi habitū suscepit.
- VIII. Qualem se in Prioratu erga Deum exhibuit.
- IX. Qualis erga subditos fuit.
- X. Qualis erga omnes proximos vel remotos extiterit.
- XI. Qualiter à Domino Petro Abbate Cluniacum euocatus, ordinem rigidissimè tenuit.
- XII. De schismate Cluniacensi per Pontium qui abbas fuerat concitato.
- XIII. De fine scandali Cluniacensis, & sapientia Domini Matthai.
- XIV. Qualiter in Episcopū Albanensem assumptus sit, & quā sanctè in eo sese habuerit.
- XV. Quod cum adhuc Prior esset, pecunias à Iudeis mutuari prohibuit.

XVI. De

- XVI. De schismate romana ecclesia, & q̄ viriliter catholicā partē defenderit.
- XVII. De fine ipsius miris insignibus gloriosa. (S. Zenonis)
- XVIII. De visione q̄ de ipso vidit Prior
- XIX. De visione alterius fratris.
- XX. Quomodo signo crucis dæmones ad se fugauerit, & de infatigabili ad Deū intentione.
- XXI. De reuelationibus ante mortē illi ostēsis, & gloria quā sibi paratā vidit.
- XXII. Quā sanctē & gloriosē die sancto natalis Domini prima luceſcente aurora de hoc mundo transierit.
- XXIII. De celeberrimis exequijs eius & tumulatione honorabili in basilica sancti Frigidiani. (mē mortuo.)
- XXIV. De quodā malo monacho, pessi-
- XXV. De visione quam scriptor horum Roma posuit us vidit.
- XXVI. De visione fratris Enguixonis.
- XXVII. De cuiusdam pueri vigilantis visione mirabili.
- XXVIII. De institutis Carthusiensis monachorum.
- XXIX. De quodam fratre Carthusiensis, qui mira vigilans vidit.
- XXX. De miraculo cereorū in romanorū in ecclesia matris Domini.

142 DE MIRACVLIS
PETRI VENERABI-
LIS ABBATIS CLV-
niacensis de mi-
raculis

LIBER II.

*De oppressore ecclesiarum, qui visibiliter
raptus à diabolo, & per aëra subuectus
est: stupentibus qui aderant
vniuersis.*



PRIMUM igitur ad terrore
& correctione malorum
principū, quod Matiscōni
gestum est, proferatur. In-
solita quippe res, & præter
quàm tunc omnibus vtputo seculis in-
audita, ibidem contigisse, omnium penè
indigenarum celebri & publica relatione
narratur. Est autem eadem Matiscus in
finibus regni Francorum, quod à Teu-
tonicorum vel Romanorum imperio A-
rar fluuius à Lotaringia sumens initium,
Rodanusque in more mediterraneum
huius profluxum, determinat. Quæ Ma-
tiscus à quibusdam oppidum vecata, à
quibusdam vrbis nomine honorata, in
primatu Lugdunensi, quintæ sedis
obti-

eius existeret, iram aduersum se omnipoten-
 tis Dei iam non reuocādam com-
 mouit, atque in se dirissimè expertus est
 scripturæ sacræ sententiam dicentis: Hor-
 10. rendum est incidere in manus Dei uiuē-
 tis. Et quia nequitia eius non occulta sed
 publica, non cum timore sed cum auda-
 cia Deum prouocauerat, non latenter sed
 publicè, non tamen inuisibiliter sed et-
 iam visibiliter, terribile factus est tyānis
 principibus in exemplum. Nam cum so-
 lenni die, Matisconi in proprio palatio re-
 sedisset, eumque multitudo tam militū
 quàm diuersi ordinis circumstaret, repen-
 tē ignotus homo equo insidens per o-
 stium palatij ingressus, omnibus conspi-
 cientibus & admirantibus, usque ad ipsū
 equitando peruenit. Cumque ei astaret,
 se ei velle colloqui dicens, vt surgeret ac
 se sequeretur, non tam monuit quàm
 imperauit. At ille inuisibili potentia
 constrictus, nec iam resistere valens, sur-
 rexit, atque usque ad ostium domus
 processit. Vbi equum paratum inue-
 niens, eumque ab eo conscendere ius-
 sus, ascendit. Cuius statim habenas ille
 arripens, statim cum velocissimo cursu
 per aëra ferri, cunctis conspicientibus coe-
 pit. Cumque immenso eius clamore ac
 misere-

miserabili eiulatu tota ciuitas commo-
ta, ad tam inuisum spectaculum concur-
risset, tam diu eum per aëra currentem
attoniti conspexerunt, quam diu natura-
li oculorum acie eum subsequi potue-
runt. Qui cum eum diu, succurrite ciues,
succurrite, vociferantem audiret, nec iu-
uare valeret, subtractus tandem visibus
hominum, æternus, quod meruerat, fa-
ctus est socius dæmonum. Ab hoc tam
horrendo spectaculo vniuersi ad propria
recedentes, sicut supradixi, horrendū esse
incidere in manus Dei viuētis, exēplo in-
audito & miserabili didicerunt. Hoc ita
fuisse post communem (vt dixi) omniū
famam, quiddam non quidem tam mi-
rabile, sed tamen mirū nostris diebus ac-
cidens attestatur. Nam ille, de quo supra
scripsi, traditus diabolo comes, dum cū
socio maligno de palatio, vt dictum est,
egrederetur, post ostium muri palatio illi
proximi, transitum habuit. Quod ostiū,
ciues ob tantæ rei horrorem & memoriā
posteris cōmendandā, lapidibus obtura-
uerunt. Quod nuper Otgerius Wilielmi
comitis præpositus renouare cupiens, &
propter quædā quæ publico vel priuato
vsui necessaria videbantur, peruium fa-
cere volens, conductis quodā die opera-

rijs, obicem lapidum ab ostio remouebat. Erat autem & ipse pro posse suo, acer Ecclesiarum persecutor, & vbi parua occasio occurrebat, res earum nisibus diuersis vexabat. Dum igitur hic, operi iam dicto instaret, ecce inuisibiliter à diabolo raptus, ac videntibus qui aderant multo in aëra spatio subleuatus, sed confestim dimissus, corruit, eiusq; corpore grauiter colliso, brachium quoque illius subita illa ruina confregit. Quod videntes socij, rursus foramen ostij quod aperire coeperant, lapidibus obturauerunt, & ad perennem vtriusque prodigij memoriam, clausura perpetua damnauerunt.

De illo qui terra obrutus per sacrificia & orationes ecclesia ab Angelo pascebatur.

CAPVT II.

ILLUD quoque quod saluatrici hostiæ, hoc est, sacrosancti corporis & sanguinis Christi sacramēto nō paruum nostris diebus testimonium dat, præcedētibus adiungēdū est. Est in Gratianopolitano Episcopatu locus in venis subterraneis plurimū ferri habens, quod multo incolarū & rusticorū sudore assidue

duè eruitur, ac fornacibus coctum & expurgatum, per circumiacentes terras fabricis ferrarijs vel quibuscumque pro lucro venditur. Inde & villa, quam eidem homines incolunt, ferraria nuncupatur. Solent autem huiusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe maioris lucri longius procedere, & per subterraneos specus pertinaciter maiorem ferri materiam perscrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret, & intima terræ viscera fodiendo, acriter rimaretur, repente maxima moles terræ delapsa, aditum per què ingressus fuerat, obturavit. Quia tamen fodiendo longius processerat, & multum post se spatij exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit, & velut in domo clausa ac validis munitioibus undiq; circumseptata, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit. Sed tenebris tam tenebroso carceris circumseptus, spe omni evadendi sublata, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens in se cernere æstimabat. Quem iam per aliquot dies nos apparentem, vxor sua mortuum credens, ad animam eius spiritualibus beneficijs adiuuandam conuersa est. Unde per annum integrum omni heb-

domada vnam ei missam celebrari à sacerdotibus faciens, & pro eo panem & candelam offerens, salutari Sacramento, vt mos est ecclesiæ, animæ vt putabat defuncti mariti subuenire satagebat. Vna tamē in anno hebdomada extitit, qua mulier alijs intenta negotijs, missam, vt proposuerat, marito providere neglexit. Et ecce totius anni penè emenso tēpore, rursum fossores metalli officio assueti irrequieti instātes ad locum in quo iā dictus rusticus adhuc viuens latebat, paulatim fodiendo perueniunt. Quorum dum voces & malleorum sonitus iam appropinquantium, rusticus inclusus audisset, quātis potuit nisibus vociferari cœpit. Cuius illi vocem audientes, & vt potē artis illius periti, hominis subterranei esse cognoscentes, sese inuicem cohortati sunt, & ad eum tandem post multum fossionis laborem peruenerunt. Quem accēsis luminaribus curiosè circumspicentes, illum esse quem anno iam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnouerunt. Admirari, & penè vt dignum erat tantæ rei nouitate stupefacti, quomodo illic tantum viuere potuisset, instantissimè inquirebant. At ille respondit. Isto quem non remouistis terræ obice, foramini per
quod

quod intraueram obiecto, cum hoc carcere, quem videris retentus fuisset, atque aliquantis diebus sine cibo & lumine permanisset, subito mihi iam penè deficienti cum pane simul & lumine quidam affuit, qui me confortans, & ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illas candela quam ferebat, clarissime illustrauit. Eo pane per spatium septem aut octo (vt mihi videbatur) dierum refectus, totidem diebus ea candela illustratus, & famis periculum euadebam, & huius fossæ tenebras euitabam. Post septem uero vel octo dies, rursus ille qui prius cum recenti pane & renouato lumine, adueniebat, eaque mihi demittens, confestim recedebat. Hoc per unius (vt mihi videbatur) anni excursu, æquo penè temporis interuallo nunquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam munusque solitum, nescio qua de causa, subtraxit. Quo tempore fame & tenebris valdè excruciatum sum, quousque rursus benignus ille vitæ meæ conseruator redijt, & simili subuentione vitam meam iam morti proximam reparauit. Hoc illi ab eo audientes, & quid pro illo vxor eius per totum illum annum fecerat ad mentem reuocantes, cuncta ei protinus exposue-

posue-

150 DE MIRACVLIS

posuerunt. Deinde hominem de cauernis illis subterraneis educentes, vxori proprię vicinis omnibus & populo ad tantum spectaculum vndique concurrenti, mirum dictu, post annuam sepulturam incolumem reddiderunt. Qui simul congregati, & quod ille de se narrabat subtilius examinantes, eisdem diebus panem, quo reficiebatur, candelam qua illustrabatur, eo in illo specu oblata fuisse inuenerunt, quibus mulier pro eius requie & missam celebrari faciebat, & sacerdoti missam celebranti, panem simul & candelam offerebat. Glorificantes ergo Dominum, & non minus quàm pro mortuo suscitato, vt verè dignum erat, gratias agentes, quantum recta fides Deo placeat, quantum fidelium oblationes vel sibi vel alijs prosint, quantam super omnia salutem salutaris hostia Deo oblata dignis operetur, luce clariùs agnouerunt.

Excusatio quare scriptor horum, in narratione rerum gestarum non potuerit tempus & ordinem obseruare.

CAPVT III.

QUOD sæpè suprà fassus sum, me in relatione horum miraculorū

nul-

nullum temporis ordinem seruare, nullius generis miracula vitare, fixum ac stabile apud lectorum memoriam esse desidero. Tunc enim nulla temporum quæ fortè videri posset, confusione vel permixtione turbari poterunt, quando memoriam temporum seriè, sed rerum quolibet tempore gestarum veritatem obseruare cognouerint. Seruassem tamen tempora ipsa cum rebus gestis, si eo ordine, utriusque simul à relatoribus accepissem. Sed quia quandoque quæ prius facta fuerant, vltima didici, quæ posteriùs acta, in primis accepi: necessitas mihi facta est, non eo tempore quo res gestæ sunt, sed eo tempore eas scribere, quo relatæ sunt. Inde est quod superius quorundam monachorum bonos actus describens, cuiusdam boni & magnifici vitæ monachi gesta præterij. Nam post aggressum illud opus, aliquantis iam trāfactis annis, ea ex parte à quibusdā dignis fide audiui, & quæ de illo per me ipsum ipse agnoueram, illum eius finem expectans (quia adhuc in carne viuebat) in quo omnis laus securè canitur, scribere distuli. Iam verò illo feliciter humanis rebus exempto, & Deo cui semper deuotus adhæserat, ut dignum est credere coniuncto, tempus est aliqua
 de eo

de eo scribendi, & posteris sanctam benedicti hominis memoriam commendādi.

*De ortu & adolescentia bona Domini
Matthai Episcopi Albanensis.*

CAPVT IV.

FVIT autem hic non obscuri secundum carnē generis, ortus ex Rhemensi prouincia, utroque parente & nobilitate (ut dictum est) insignito, & mundanis opibus locuplete. Hic in pueritia literis traditus est, & postquam adoleuit, in Laudunensi Ecclesia Clericale officium adeptus fuit. Hic statim à primis annis contra multorum Clericorum deprauatum morem, cum ætate cœpit & honestate inualescere, & leuitatem vel lasciuiam confodaliū fugiens & execrans, quod perarum est in huiusmodi hominum genere, famosis honestate ac religione Clericis adhærebat.

*Qualiter venerabili Radulpho Remorum
postea Archiepiscopo adhaeserit.*

CAPVT V.

INTER quos, quondam probatoris vitæ Clericum, Rhemensis ecclesiæ tunc Thesaurarium eligens, quia Radulphus nomine, viridis cognomine dicebatur, ei se specialius religiosa familiar-

liaritate deuouit. De hinc raptò eodem Radulpho, & in Rhemensem Archiepiscopum assumpto, non deseruit quem elegerat, sed probatū vita ac prudentia hominem, religiosus ac prudēs iuuenis prosequens aliquamdiu sub ipso Rhemenfis iā Ecclesiæ Canonicus perseuerauit. Gaudebat eius societate religiosus Episcopus, nec inferiorem ei amoris vicem repēdebat. Cernebat in eo quod in se cognoscebat, & velut imaginem virtutum suarū in ipso amplectebatur. Vt enim quidam sapiens ait: similitudo morum concordiam efficit animorum. Et verè, nunquā enim dissimilia sibi conuenire potuerunt nec in vna sede diuersa morari. Nam dissimilitudine discohærentia, si quis sine aliquo simili adiungere tentat, frustra laborem insumit. Statim enim ab inuicem resiliunt, nec nisi per aliquod simile ac medium (vt dictum est) coniungi possunt. Hoc enim in elementis, hoc in corporibus, hoc in moribus, hoc prorsus in rebus omnibus constat, & luce clarius est. Sic bono Episcopo bon⁹ Canonicus, bonorum morum vitæque honestæ congruentia coniunctus paulatim per quotidiana incrementa, ad maiorē religionis ac sanctæ conuersationis amorem promouebatur.

Nota.

Quo-

*Quomodo ad monasticam vitam affi-
rans, Ecclesiasticos honores di-
miserit.*

CAPVT VI.

IND E actum est, vt diuinus ignis, pe-
ctoris eius de scintilla exortus, in flā-
mas prorumpere gestiret, & non iam
sub illo Canonicali, immò penè seculari
ac fallaci tegmine, sed sub vero ac synce-
ro monachorum ordine, Deo seruire pro-
poneret. Videbat institutis illis clericorū
nihil propè religionis inesse, multa ibi si-
mulari, pauca in veritate geri: ambitione,
cupiditate, æmulatione cuncta intertur-
bari, & sub tonsura vel habitu clericali, re-
ctius mercenarios quam Canonicos pos-
se vocari. Hæc & his similia mortis gene-
ra in eis abhorrens, & velut de medio Ba-
bylonis iuxta vocem Prophetæ fugere
quærens, adit Episcopum, & familiare si-
bi colloquium ab eo indulgeri rogat.
Quo impetrato denudat quidem ex par-
te animi secreta, sed ex maiore, sub silen-
tio tecta reseruat. Timebat enim, ne si
cuncta Episcopo se diligenti proderet, di-
lectione qua ei tenebatur obstrictus, eius
conatibus idem Episcopus contraireret. Et
nouerat quidem Episcopum omninò
virtu-

virtutum suarum desiderare profectum: sed velut membri alicuius à corpore diuulsionem, eius à se timere discessum. Hac ego de causa quidquid de seculi abrenunciatione proposuerat reticens, reliqua pãdit, & se canonicales redditus minus canonicè accepisse confirmat. Timere se ne à patre diuite & seculari homine, precio vel prece indecenti, redditus ecclesiastici, qui gratis dari & accipi debent, sibi prouisi fuerint, atque cum subsidio corporali, æternus interitus comparatus. Et nescisse quidem se tales contractus, neque accersitum fuisse ad huiusmodi commercia. Formidare se tamen sola fama ad se perlata, ne solo nomine Christianus dicatur, & rerum veritate Simonis discipulus approbetur. Debere patrẽ saluti filij prouidere & ne casu aliquo ouis de numero gregis sibi crediti pereat, satagere. Et vt (inquit) finem dicendi faciam, & quod hucusque in corde meo latuit, retegam, præbendas omnes, redditus Ecclesiasticos omnes, quocunque modo mihi datos in manum vestram refundo, & omnibus prorsus Ecclesiasticis, non spiritualibus sed corporalibus, mihi hucusque collatis beneficijs, abrenuntio. Hæc Episcopus à iuvene audiens, & innu-

& innumeros senes ac decrepitos multa animi deuotione eum exuperasse gaudens, in lachrymas est resolutus, eumque ne id faceret, & ne pro culpa incerta, ecclesiasticis beneficijs renunciaret, hortatus est. Non acquieuit ille, sed in incepto proposito constanter perseuerans, quod coeperat, perfecit. Renuncians ergo tali occasione Ecclesiasticis negotijs, immo cunctis secularibus causis, ab Episcopo ei valedicente, eumque ad alia sua negotia mittente, recessit, Nec diu meratus est, sed quod de sua æterna salute conceperat, adimplere celeriter properauit.

Quod propter celebrem religionis famam Cluniacum eligens, apud sanctum Martinum de Campis monachi habitum suscepit.

CAPVT VII.

COGITANS verò quo diuerteret, vel vbi conceptum religiosè viuendi propositum adimpleret, Cluniacū elegit. Audierat namque ab illo suo Rheimensi Archiepiscopo, & ante Episcopatus officium & post, Cluniacense monasterium prædicari. Audierat eū Cluniacensis ordinis modum & morem, multis laudibus extollentem; aduerterat eum Cluniacenses institutiones multis ac diuicis

uersis religiosorū institutionibus præferentem. Coniecerat non leuiter in his posse falli hominem doctum in diuinis, expertum in humanis, qui penè nihil diuinorum longo vsu, subtili meditatione ignorare poterat, qui penè nihil mundanæ, ne dicam sapientiæ intentatum reliquerat. Huius ergò credulus verbis religioni, quam eum maximè approbare audierat, se consociare decreuit. Sed quid faceret (inquam) feruens & deuota anima, quæ adeò diuino igne incanduerat, vt conceptam rem diu differre, mortem putaret? vrgebat eum vt celeriter vota compleret spiritus, sed longè aberat Cluniacus, longè aberat, longum iter intererat. Timebat ne tanto temporis spatio tentatori indulto, à nequam hoste vinceretur, & conceptus spiritus casu aliquo extingueretur. Vnde quia vel idè timebat vel quia secundum quendam cupienti animo nihil satis festinatur, Cluniacum quidem matrem, quia remotior erat, tunc non adiit, ad Cluniacensem tamen filiam, quæ propior erat, hoc est, sanctum Martinum de Campis, gressum conuertit. Et congruè est enim idem sancti Martini monasterium, suo Cluniacens. monasterio in
ordi-

*De mo-
nasterio
sancti
Martini
de cāpis.*

ordinis, religionis, ac feruoris proposito, pro modo suo ita consimile, & in totum conforme, vt velut simulachrum ceræ impressum, multis alijs ad Cluniacū pertinentibus monasterijs, originalis sigilli imaginem familiarius repræsentet, & exceptis locorum distantijs, quæ simul esse non possunt, non diuersa, sed prorsus vnum sint. Ad hoc ergo Cluniacense monasterium Mathæus, non quidem de telonio, sed de gradu immò casu Canonico à Christo vocatus venit, & se à Domino Theobaldo Priore, in monachum suscipi rogauit. Gaudius est Prior, & vt solet in desperatis rebus fieri, præ gaudio, seridè eum hoc dicere non credebat. Persuasit tandem ei, vt crederet se ad hoc venisse, & vt citò susciperetur, coepit instare. Hora erat secundum ordinem Cluniacensem incompetens, nec in illa aliquem pro monacho venientem suscipi fas erat. Monuit Prior Theobaldus Mathæum vt sustineret, & horam congruam, qua id pro more in crastino fieri posset, præstolaretur. Respondit ille se pati non posse dilationem, habere se socios, quibus si res quoquo modo innotesceret, iam deinceps quod volebat, effectui mancipare non posset. Victus Prior ratione,
victus

victu
tan
liber
Cap
sam
ri. Fe
mni
prop
nou
ri m
tuit
ris sp
ei d
chi v
niac
plet
ac vi
nach

Qua

R
nem
iusd
Prio

victus iuuenis deuotione, victus maximè
 tanti lucri, si ei non cederet, amissione,
 libens cessit quod rogabatur. Ingressus
 Capitulum conuocat omnes, referat cau-
 sam, lætantur vniuersi, rogant id citò fie-
 ri. Festinanter adducitur, conspectibus o-
 mnium præsentatur. Voto & petitione
 propria, exiit veteri homine, induitur
 nouo, regulæ monasticæ subditur, corpo-
 ri monasterij, quantum tunc fieri po-
 tuit vel debuit, associatur. Paruo tempo-
 ris spatio emisso, Cluniacum venit, quod
 ei de professione scripta, vel de mona-
 chi vñitata benedictione defuerat, à Clu-
 niacensi Abbate eo ibi benedictio sup-
 pletur, & iam integer corde, ore, habitu
 ac vita monachus, sibi iam penè de mo-
 nacho nihil deesse, in Domino gloriatur.

*Qualem se in Prioratu erga Dominum
 exhibuit.*

CAPVT VIII

REMISSVS præcepto Abbatis sui ad
 monasterium sancti Martini cum
 per annos septem claustrum ordi-
 nem feruentissimè tenuisset, iussione e-
 iusdem Abbatis successit ad Prioratum,
 Priore suo iam defuncto, & sicut de bono

H

viro

viro spes certa suadet credere, ad beatæ
vitæ statum translato. Vbi qualem quan-
tumque se Deo, subditis, & quibusque
proximis ac remotis exhibuerit, vix à me
explicatur. Vt quando hæc tria quæ pro-
posui, sigillatim exequar, exhibebat se
Deo ac substernebat vera cordis ac corpo-
ris contritione, præteritorum actuum vel
negligentiarum pœnitundine, mundi
contemptu, plenissimo ac penè singula-
ri, inter multa millia monachorum, in
Deum deuotionis affectu. Morabatur in
claustro assidue cū fratribus, & post plu-
rimos mundi discursus, penè velut ea cui
adhærebat claustri columna, sacræ lectio-
nis intentus studio, immobilis perdura-
bat. Vix poterat eum commissi Prioratus
cura, saltem ad horam à fratrum Colle-
gio segregare, vel ab intentione semel in
Deum defixa, quolibet mundus occupa-
tionis suæ vnco retrahere. Cumque sub
ducatu eius ferè trecenti fratres, tam in-
tra quam extra monasterium Domino
militarent, eisque corporalia subsidia pro-
uidere, vel per se vel per alios ex officij de-
bitu cogeretur: Marthæ quidem impor-
tunas exactiões ex toto effugere non
valebat, sed tamen toto animi deside-
rio, Mariæ otio inhiabat. Hinc commune
clau-

claustr
rato
legera
nacul
mun
Et qu
minc
sed et
mini
malu
quam
rum;
ti lect
tissim
ynien
uos, fe
rum s
tidian
conde
quam
gilijs,
silenti
Studij
tus m
nouita
dum
ficijs s
stibus
ter sol

claustrum (vt dictum est) commune o-
 ratorium, communes fratrum domus e-
 legerat, in quibus velut Moyses in taber-
 naculo à ludæorum lapidibus, sic ipse à
 mundi tumultibus, tutior permaneret.
 Et quia cum Propheta hanc vnam à Do-
 mino petierat, vt non tantum in coelis,
 sed etiam in terris habitaret in domo Do-
 mini omnibus diebus vitæ suæ, quia
 maluerat abiectus esse in eadã domo Dei,
 quàm habitare in tabernaculis peccato-
 rum; hinc morabatur in illa. Ibi frequen-
 ti lectione, assidua meditatione, seruen-
 tissima oratione, Deo se commendans, &
 vniens, si qui fuerant præteritæ vitæ na-
 uos, fortasse non multos, expiabat, & pio-
 rum studiorum in coelis thesauros quo-
 tidianis virtutum incrementis in dies re-
 condebat. Non relinquebat partem ali-
 quam theoriz intactam, sed ieiunijs, vi-
 gilijs, cilicijsque asperis corpus edomans,
 silentio, psalmodia, & his quæ dicta sunt
 studijs, de veteri in nouum hominem to-
 tus mutari, & sic à vetustate mundi in
 nouitatem Christi plenum propemo-
 dum transitum facere satagebat. Sacri-
 ficijs super omnia diuinis & sacris cæle-
 stibus totus intentus erat: quæ nõ frequen-
 ter solum, sed quotidie Deo offerens, om-

nes quidem dignos, sed congregationi
 propriæ frater specialiter, sibi verò com-
 missos specialius, illo salutari & ineffabi-
 li Sacramento, diuinæ clementiæ per dies
 singulos commendabat. Imitabatur sic-
 ut in quibusdam alijs, sic & in hac diuina
 sacrificij quotidiana oblatione, iustum
 Iob. De quo, cum dictum esset. Consur-
 gens diluculo offerebat holocausta per
 singulos (subauditur filios) post modum
 cum additur: Hoc faciebat Iob cunctis
 diebus. Sic iste cæleste sacrificium, & et
 hora qua Iob: hoc est mane quando po-
 terat, & quotidie sicut Iob, pro se, pro sub-
 ditis, pro vniuersi ad Christi corpus per-
 tinentibus, & hoc remedio indigentibus
 offerebat. Quis tam explicet bonam illam
 animam omnium affectuum terre-
 norum oblitam, carnem ipsam ferè exor-
 dentem, ad cælos multa in specie rapta
 quis suspiria? quis gemitus? quis non la-
 chrymas, sed lachrymarum imbres vsque
 ad imum quidem terræ descendentes, sed
 vsque ad summum deitatis fastigium
 condescendentes? quis planè animam illam
 Hester vocare beatam, cuius à prima
 die monachatus vsque ad vltimum vite
 exitum, crimina nulla, bona multiplicia
 & continua, oblatio agni immaculati, qui
 tollit

tollit p
 nos qu
 exhibe

T

tum
 se mi
 secur
 races
 pore
 te ex

tos,
 por
 res e
 tiz n

liqu
 pro
 cum

Et n
 re q

sibi
 ues

sap
 & c
 hac

tollit peccata mundi, per viginti ferè annos quotidiana? Talem quidem se Deo exhibebat. Sed qualem subditis?

Qualis erga subditos fuit.

CAPVT IX.

TALEM se planè subditis exhibuit, talem vsque ad vitæ terminum conseruauit, vt non solum quantum ad Domini, sed etiam quantum ad se misericordiam & iudicium eidè Deo securè cantaret. Vt enim mihi boni & veraces fratres testati sunt, qui ei multo tempore conuixerunt, & ipse ex plurima parte expertus sum, & misericors in subditos, & iustos super omnes penè sui temporis Cluniacensis congregationis Priores extitit, & huius misericordiae vel iustitiae multa diebus suis & post, exempla reliquit. Misericors in eos erat, necessaria eis pro viribus præparando, & vnicuique secundum Apostolicam & Patris Benedicti regulam, prout opus erat, multa labore quæsitâ largiendo. Pàuper erat. domus sibi commissa rebus, licet ve è multis diues esset virtutibus Quæ necessitas, quia sæpè grauiter instabat, & cor eius angore & corpus multo semper labore fatigabat, hac de causa aliquandò proximos, ali-

quandò remotos Reges & Principes adibat, & eorum donis & muneribus, seruorum Dei frequenter indigentiam recreabat. Mos ei erat quamdiu domi morabatur, ex præcepto quidem regulæ, sed maximè ex dono Dei deriuatus, infirmorum, pauperum, hospitem (in quantum Prioratus officium patiebatur) per seipsum potiore curam gerere. Cumque eum recedere instans aliquot negotium vrgeret, fratres vel in capitulo vel extra cõuocans, præmissa inde multa exhortatione, hanc eis curam, hoc velut proprium officium curiosissimè commendabat. Nec solum circa hæc tria hominum generum misericors eius animus occupatur. Incolumes ipsi, & hi maximè qui labori conuentus deuotè instabant, misericordis pastoris curam frequenter experiebantur. Nihil eis ferè deerat ad victum, nihil fatigatis ad requiem, nihil pusillanimitate succumbentibus ad consolationem. Omnibus & absque exceptione, & cum congruente discretionem pater erat. Iam vero discreto rigori iustitiæ eius, & multalij, & nos cum illis qui hæc vidimus, verax testimonium ferimus. In tantum enim negligentibus de maximè damnabiliter peccantibus indignabatur, vt corde, ver-

de, verbis & vultu, interiore zeli Dei flamma virgē inflammatus, in eorum prorsus interitum, si nesciretur, insurgere crederetur. Si attenderes, nihil Phinees insolito vulnere libidinosos percillens, nihil Helias igne cœlesti idololatrias consumens, irreuerenter peccantibus plus eō irasci viderentur. Vnde & delinquentes, Cluniacensi more, prout iustum videbatur, sanguinolentis verberibus castigabat; ferro, compedibus, & diuersi generis vinculis coercebat, tenebroso plerosque carceri mancipabat; fame valida & siti, carnis ac spiritus superbiam conterebat, aliquando quoque (quod semel tantum, quia sic oportuit, fecisse dicitur) sepultura perpetua cohibebat. Hoc tunc fuit, quando cuidam spiritualiter mortuo, caueam subterraneam velut sepulcrum parauit. In quo cum concludens, arte illa sua, qua fratrem viuentem spe vitæ immortalis quasi mortuum sepelierat, ad hoc peruenit, ut qui super terram viuere non poterat, iam sepultus viuere disceret. Hoc factum est, quando frater ille velut sepultus ad vitam redijt, ipsa sepulchri sui corporalis imagine pauefactus, ad vitam spiritualem & æternam, à qua peccando alienus factus fuerat, poenitendo re-

do redijt. Nam licet obstinatus valdè ante
 fuisset, frequenti tamen patris & fratrum
 admonitione, ac sui simul sepulchri co-
 hortatione, vt dictum est, malis omni-
 bus, & maximè illis pro quibus inclusio-
 nem meruerat, ex corde renuntiavit, & in
 humilitate ac contritione spiritus perse-
 uerans, diem vltimum clausit. Tale fra-
 tris spiritualiter mortui & resuscitati se-
 pulchrum à sepulchro Lazari corporaliter
 resuscitati, fortassis imò profus non
 dissentit, quia Lazarus hunc de quo ser-
 mo est designans, vocatus de sepulchro
 suo, vitam rursus morituram; iste de suo
 ab eo Domino per Matthæum suscitatus,
 vitam meruit sempiternam. Hoc iustitiæ
 zelo feruens, & totus (vt sic dicam) igni-
 tus famam huius sui feruoris vbiq; spar-
 serat, & negligentes vel fluxos non so-
 lum subditos, sed etiam quoslibet alios
 proximos, vel remotos solo Matthæi no-
 mine deterrebat. Exertum semper vt o-
 lim Cherubin, in necem scelerum flam-
 meum gladium præferebat, nec eum à
 sceleratorum sanguine aliquando prohi-
 bebat. In hac virtute ita præcelluit, vt &
 domum sibi commissam ad longè ma-
 iorem solitæ religionis statum perduce-
 ret, & multa circumposita monasteria,
 vel

vel Abbantias, quæ à totius monastici ordinis feruore languerant, adiutus quorundam bonorum virorum auxilio, in optimum religiosæ conuersationis propositum reformaret. Talem se vt dictum est Matthæus habuit ad subiectos. Sed qualem se exhibuit ad alios proximos vel remotos.

Qualis erga omnes proximos vel remotos extiterit.

CAPVT X.

EXHIBEBAT omnibus communē tam corde quàm verbis dilectionis affectum, & in quātum salua propositi grauitate poterat, iocundum se & hilarem quibusque alloquentibus offerebat. Ad omnes quidem iuxta patris Augustini verba congruum caritas habebat affectum, ad eos verò quos poterat, eiusdem effectum. Fecerat ea caritatis virtute, monasterium suum præ cunctis totius Franciæ monasterijs, commune vniuersorum hospitium, & velut generale absque alicuius personæ exceptione, cunctorum asylum. Episcoporum, Abbatū, nobilium etiam laicorum quotidianus concursus, monachorum & clericorum agmina, pauperum que nunquam desse-

H. s.

pote-

poterat turba, domos vniuersos, hospitia cuncta affiduè penè replebat. Suscipiebantur alacriter, nec in suscipiente boni vultus hilaritatem, tanta aduenientium importunitas turbare poterat; cuius cor virtus illa, quæ nescit quærere quæ sua sunt, sed quæ aliorum, plenariè possidebat. Expendebat in his pietatis sumptibus non solum omnia sua: sed & quæ mutuo accipere poterat, multo sæpè cum fenore aliena. Nam vt omnibus ad monasterium cõfluentibus obsequi, vt omnes procurare, vt omnibus satisfacere possit, extendebat se supra se: nec vires proprias vel quantitatem facultatis ostendens, penè ad impossibilia semetipsum cogebat. Cumque plerique Abbatum vel Episcoporum, quorum ego nonnullos agnosco, marsupijs plenis, immo vt sic dicam, exundantibus gazophilacijs, vix ad buccellam pauperi præbeant, vel raro hospiti ostium aperiant: hic à conuerso iuxta Apostolum, velut nihil habens & omnia possidens, negare cuilibet, etiam quæ deerant, nesciebat. Inde attenuata domo, exhaustis omnibus, ipsi etiam, vt hospitibus satisfaceret, sæpè monachis esurientibus, multo animi angore sollicitabatur. Sed rursus recolens illud Propheticum, Inquit

Inquirentes Dominum non deficient omni bono, etiam de subsidijs corporalibus dictum; & illud Domini. Nolite solici esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus? & aliud. Hæc omnia adijcientur vobis: reformabar animum ad spem, & totum in Domino iactans cogitatum, velut plenis horreis vel cellarijs exultabat. Nec frustrabatur diu spe sua, nec ille qui volatilibus cœli, quæ nec serunt nec metūt prouidet, seruorū suorū obliuiscabatur. Prouidebat eis sæpè inuisibilis prouisor, per reges ac principes ministros suos: atq; rerum suarum, non Dominos; sed horarios dispensatores; prouidebat inquam eis sæpè necessaria, & multa frequenter mittebat. Aderat plerunque pauperie valida angustatis, ac multo ære alieno oppressis, ex improviso emergens, pleno copia cornu, & merorem in gaudium, egestatem in abundantiam subitò transferebat. Sic, sic magnificus retributor facere consuevit, vt quæ talibus officijs expenduntur, velut sibi credita plusquam fidelis in commissio: eadem non tantum duplicata, sed etiã centuplicata quandoque restituat. Hinc erat quod inter ceteros Principes, qui eum harum & similium virtutum fa-

ma exciti diligebant, quique illi de suis multa largiebantur. Ludouicus Rex Francorum, Rexque Anglorum Henricus, singulari ipsum amore amplectebantur. Adeuntem se gaudentem suscipiebant, multo susceptum honore colebant, ac discedentem nunquam ferè vacuum remittebant. Hoc maxime iam nominatus magnus ille rex Henricus faciebat, qui sicut vniuerso per è orbi terrarum notum est, cur ètos sui temporis Christianos principes, prudentia transcendit, operibus euicit, largitate superauit. Huius Matthæus gratiam, gratia virtutum suarum familiariter meruerat. Nam eum sepe audiens, ab eo obsequijs honoratus, ac donis regijs oneratus, lætus ad fratres regrediebatur, eorumq; de inopia patientiam, huiusmodi remedijs consolabatur. Ita bonus vir prius Deo, deinde propter Deum omnibus complacens, omnibus gratus, & sibi omnes talibus vitæ vel virtutū studijs deuinxerat, & secundum Apostolū pro modo suo omnibus omnia factus omnibus complacebat. Sicut igitur in supra scripta diuisione præmissi, Deo primum, deinde subditis, post etiam quibusque alijs proximis, vel remotis talem se Matthæus exhibuit, tale sui

ex:ms.

exemplum & sui temporis, & post futu-
ris monachis omnibus dereliquit.

*Qualiter à Domino Petro Abbate Clu-
niacum euocatus, ordinem rigi-
dissime tenuit.*

CAPVT XI.

Eo tempore contigit nescio qua
Dei voluntate vel permissione ad
Cluniacensis congregationis re-
gimen, quod non dupliciter, sed simpli-
citer profero, me indignissimum assumi,
& tantarum numero, tantarum meritò
quum Christi curam, inutilem & im-
prouidum pro fusus opilionem assumere.
Et quia famam huius de quo sermo est,
ante hoc officium hauseram, & ea de causa
eum iam ex parte notum & fami-
liarem habebam; ad ordinis adiutorium,
& ad impositæ curæ supportandam sar-
cinam, ipso statim primo uocationis
meæ anno Cluniacum euocaui. Astringi
eum mihi fortiore nec unquam dissolu-
uendo amoris vinculo, eique statim or-
dinis & claustrii, cuius ut iam dictum est,
feruentissimus erat amator, curam im-
posui. Succreuerant paulò ante in ma-
gno illo & nobili monastici ordinis a-
gno, resecanda vel potius euellenda, uti-

H. 7

libus.

libus satis contraria, & quorūdam quos
 nominare nolo, culpa vel desidia (nam
 ex maiori parte iam vita excesserūt) plu-
 rima extirpanda exorta fuerāt. Ad huius
 rei adiutorium magnum hunc & vince
 Christi non segnem operarium, vt iam
 dixi accersens, insignem verè cum adiu-
 torem expertus sum. Nam noxia vel su-
 perflua quæque in cibis, in potibus, in
 moribus quàm maximè perfequens: li-
 cet ea de causa multa nunc reticenda pas-
 sus fuerit, ea tamen ad congruum finē,
 etsi non statim, Deo præcipuè, meque
 cum quibusdam alijs pro viribus iuuan-
 te, perduxit. Nec idcirco tamen curam
 monasterij iam dicti deposuit, quoniam
 à me, quia sic res exigebat, & Cluniaci
 ordinem tenere, & domui iam dictæ
 providere coactus, non obedire non po-
 tuit. Erat quippè talis, qui non vnus tan-
 tum virtute dexteræ, sed & ipsa sinistra,
 sicut de quibusdam scriptura sacra re-
 fert, pro dextera vti nosset. Et rectè: iusti
 enim hominis est, nunquam sinistram
 habere, sed semper ea quæ sinistra, hoc
 est aduersæ partis sunt, in dexteram, hoc
 est, rectam conuertere. Sic expertam ho-
 minis virtutem, non vni tantum, sed
 gemino oneri portando sufficientem,
 vtrum-

utrumque eius humerum supposui, atque
 ut secundum eam quam in ipso cogno-
 scebam gratiam, fratribus suis aliquantu-
 lum ab inuicem semotis, labore suo pro-
 ficeret, prouidi. In hoc statu, aliquanto
 tempore decurso, postquam certa & uti-
 lis causa exegit, dato ei apud Cluniacum
 ordinis successore, ad sancti Martini mo-
 nasterium, ut prius regendum, eum re-
 misi.

*De schismate Cluniacensi per Pontium,
 qui Abbas fuerat, concitato.*

CAPUT XII.

DE HINC non plenis, ut mihi
 videtur, duobus annis transactis,
 insurrexit nota illa contra Chri-
 sti nauiculam, hoc est Cluniacensem
 ecclesiam, horrenda tempestas & velut
 civile bellum in republica nostra, ubique
 terrarum exarsit. Quod ne priores carpo-
 re videar, quantum ad presentem mate-
 riam pertinet, succinctè describo. Domi-
 nus enim Pontius Cluniacensis post san-
 ctum patrem Hugonem, nullo interie-
 cto Abbate successor eiusdem patris vlti-
 mo tempore, de monasterio sancti Pon-
 tij Cluniacum veniens, noua facta pro-
 fessione, more talium de alijs, vel de alie-
 nis

nis monasterijs venientium, Cluniacensis monachus factus est. Hic valde iuuenis, à fratribus Cluniacensibus spe bonæ indolis eius inductis, in Abbatem electus magno illi & famoso viro, iam dicto patri Hugoni successit. Qui primis assumptionis suæ annis, satis modeste ac sobriè conuersatus, procedente tempore mores mutauit, & multis ac diuersis casibus vel causis, fratrum penè vniuersorū animos, exasperando, eos paulatim contra se concitauit. Dissidentes illi ab eo, & quod multa mobilitate vel leuitate animi, nullis bonorum consilijs acquiescendo, vt dicebant, res monasterij perfundaret, inter se nunc pauci, nunc plurimi, tandem penè vniuersi murmurabāt. Mansit tamen res aliquam diu tecta inter eos, nec ad aures secularium per decennium ferè peruenit. Prorupit tandem consque lis occultata diu, vt non solum ad circumpositos, sed insuper ad remotissimos quoque huius dissensionis malum pertingeret, & ipsas summi Pontificis, ac Romane curiæ aures impleret. His rumoribus Dominus Pontius prouocatus indignationis impetum, quem in alios fortassis deriuare debuerat, in seipsum reuertit, & Romam velut præcipiti cursu adiens,

adiens,

adiens, ut curæ pastoralis solitudine solueretur, Dominum Papam instantet oravit. Præerat tunc Romanæ Ecclesiæ, regij sanguinis nobilitate insignis, sed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentia longè insignior, qui prius Viennensi Ecclesiæ præfuerat, Calixtus Papa secundus. Is in primis, Abbatis Pontij voluntati & petitioni, omnis exhortationis nisu resistens, postquam cum non posse deflecti à proposito vidit, ab omni cura Cluniacensis Ecclesiæ, ut postulabat absolut. Absolutus inde, eiusdem Papæ permissione Apuliam petijt, indeque mari transmissio Hierosolymam, semper, ut proposuerat, ibidem mansurus, peruenit. Papa fratribus Cluniacensibus, quod factum est, mandās ut sibi patrem eligerent, auctoritate Apostolica præcepit. Illi post præceptum accepto consilio, totius religionis, ac religiosæ opinionis, virum Marciniacensium sororum Priorem, venerabilem Hugonem, sibi pari assensu in Abbatem eligunt. Suscepit sanctus ille, licet valde renitens quod imponebatur, sed vix quinque elapsis mensibus, ex hac luce migravit, & sic lōga eius in sancta conversatione vita meruerat, ut meritò creditur, ad meliora transiit.

Fra-

Fratres & isto ita subtracto, nouę electioni diem statuunt, proximis quibusque & remotis, vt ad diem statutum conueniant, indicunt. Congregatur cum quibusdam Episcopis & Abbatibus, multus monachorum populus, & in octauis assumptionis beatę Virginis, vtinam sibi melius consulentes, in presentium scriptorem conueniunt. Mandant iam dicto Papę huius suę electionis assensum, & ab eo rescriptum, hoc quod fecerant, confirmans, suscipiunt. Mansit deinde aliquot annis res Cluniacensis in pace, & velut sepultis prioribus malis, optimo quietis ac bonorum prouentuum successu florebat. Tandem iam dictus Pontius transmarinę habitationis pertæsus, rediens ab oriente, occidenti tenebras cõtra morem inuexit. Qui vt Italiam attingit, diuertere Romam nolens, in Rauennatum partibus, hoc est in Episcopatu Taruisiano, sedem sibi cõstituit. Ibi monasteriolo constructo, paruoque in eo tempore demoratus Gallias repetijt. Explorata demum absentia mea, nam fortè tũc in secundę Aquitanie partibus Cluniacensibus negocijs insistebam, fingens se Cluniacum nolle venire, paulatim tamẽ appropinquabat. Dehinc quibusdã fugiti.

gitiuorum sibi adiunctis, armisque vulgariis quos sibi ascuerat constipatus, Cluniacensibus portis improuisus aduenit, quibus effractis & venerabili sene Bernardo Priore, fratribusque alijs vbi vbi dispersis, cum promiscua illa armatorum multitudine, ipsis quoque mulieribus irruentibus claustrum ingressus est. Ingressus occupat statim omnia, & eos quos reperit minis, terroribus, ac tormentis in suæ fidelitatis cogit sacramenta iurare. Nolentes aut expellit, aut duro carceri mancipat. Conuertit statim manum ad sacra, & aureas cruces, aureas tabulas, aurea candelabra, aurea thuribula, & queque alia multa & multi ponderis vasa inuasit. Rapit & ipsos calices maximè sacros, nec thecis vel scrinijs aureis siue argenteis, multorum martyrum ac sanctorum ossa continentibus parcat. Constat ex his & similibus auri pondus immensum, & eo circumpositos milites vel quoslibet auri cupidos ad bellum raptores inuitat. His protectus circumpositas monasterij villas & castra inuadit, ac sibi barbarico more religiosa loca subdere molies, ignibus, & ferro quæ potest cuncta consumit. Abstinet à nulla bellorum specie, rapinis rerum, cædibus hominum, per
condit-

conductos sacro auro auro milites vbiq;
deiecit. Consumitur ab ipso initio qua-
dragesimæ vsque ad Kalendas octobris,
tota in huiusmodi prælijs æstas, nec sal-
tem paucis diebus à tanta malorum ca-
lamitate respirat. Manebat iam dictus
Bernardus Prior, & nobiles religiosi ac
magni viri extra Cluniacum vbi poterāt,
& in locis tutioribus, à tantorum incur-
su hostium, sese pro viribus defensabant.
Sic in sancta illa & famosissima Clunia-
censi domo, occulto sed iusto Dei iudi-
cio, sathan ad tempus laxatus furebat.
Sed iuxta librum beati Iob, qui fecit eū,
applicuit gladium eius, & congruum tā-
tis malis finem, breui imposuit.

*De sine scandali Cluniacensis, & sapien-
tia Domini Matthæi.*

CAPVT XIII.

DECESSERAT iam è vita supra-
scriptus venerandus Papa Calix-
tus, nec se inferiorem Papam
Honorium acceperat successorem. Hic
tantæ Ecclesiæ tantos tumultus audiens,
misso de latere suo Legato, Domino sci-
licet Petro Cardinali; Pontium & Pon-
tianos, qui tunc sic vocabantur, omnes,
adiuncto sibi Lugdunensi primate Hū-
baldo,

baldo, terribili anathemate condemna-
 uit. Data tamen postmodum die vtram-
 que partem ad subeundum in præsentia
 sua tanti discidij iudicium, literis Apo-
 stolicis euocauit. Obtēperat statim pars
 cuncta nostrorum, & inter innumeros
 monasteriorum Priores, causa cuius hæc
 interiecta sunt, iam dictus venerandus
 Matthæus aduenit. Adest & Pontius li-
 cet inuitus cum suis, & denominata die,
 vt iudicium subeat, aduocatur. Præcipi-
 tur tamen, vt quia excommunicatus nec
 agere, nec iudicium canonicè subire po-
 test, prius satisfaciat, & satisfaciendo, se
 vinculo quo iure vincētus fuerat, soluat.
 Mittuntur à Papa nuncij, & ex parte mite-
 tentis, vt de tantis malis satisfaciat, iu-
 bent. Respuit ille, nec se ab aliquo viuē-
 tium anathematis vinculo vinciri posse
 affirmat. Solum esse Petrum in cælis,
 præter quem nulli hoc licere, fateetur.
 Commoto multo magis tali eius respō-
 so, Domino Papa, totaque simul inde vr-
 be turbata, non solum excommunicatū,
 sed & schismaticum cuncti proclamant.
 Et quia vt dictum est, nisi solutus ad iu-
 diciū admitti non poterat, à suis qui
 cum eo venerant, vtrum quod ille nole-
 bat, ipsi saltem satisfacere vellent, respon-
 sum

sum missis Dominus Papa nuncijs quæ-
 rit. Qui statim pro eius imperio paratos
 se esse respondent. Inuant ergò palatium
 nudis pedibus cuncti, & reos se in con-
 spectu vniuersorum fatentes, protinus
 absoluuntur. Absoluti, causam ingrediū-
 tur, & nihil quod vel sibi, vel illi pro quo
 agebant, suffragari posset, intactum re-
 linquunt. Assumit sibi ex parte alia vocē
 vniuersorum venerandus Matthæus, &
 sapienter de tota causa perorat. Surgit sta-
 tim auditis partibus Papa, & tota Ro-
 mana curia sibi adiuncta, ad rem exa-
 minandam in partem secedit. Moratur diu,
 redit cum cunctis post aliquot horas ad
 sedem, vt inuentam ex consilio sententiā
 ferat: Portuensi Episcopo iubet. Fert ille
 iussus sententiam, & vt ipsa eius verba
 referam; Pontium (inquit) inuasorem,
 sacrilegum, schismaticum, excommuni-
 catum, ab omni ecclesiastico honore vel
 officio, sancta Romana & Apostolica ec-
 clesia in perpetuum deponit, & Clunia-
 cum, monachos, vel cuncta ad idem mo-
 nasterium pertinētia, Abbati qui in præ-
 sentiarū est, cui iniuste subtracta fuerant,
 restituit. Data sententia, vniuntur qui di-
 uisi fuerant, & velut in momento, redin-
 tegrato Cluniacensi corpore, tantus
 tamque

tamque diutinus malorum turbo sedatur. Irruit post paucos dies, tam in victos quam in victores, Romanus ille pestifer morbus, & penè omnes tam monachos quam famulos in breui prosternit. Inuadit vix elapso mense & Dominum Pontium, paucisque diebus interiectis extinguit. De cuius fine epistolam mihi à supradictio beatæ memoriæ Papa Honorio directam, si fortè eius notitia utilis iudicatur, adiungo. Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacensi Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. Præterito mense decembri, Pontius viam vniuersę carnis ingressus est. Qui quamuis de malis Cluniaco illatis, sepe communitus poenitentiam agere noluerit, nos tamen pro reuerentia eiusdem monasterij cuius monachus fuerat, eum honestè sepeliri fecimus. Data Laterani. Ille quidem morbo Romano aliquamdiu fatigatus sic moritur. Non parit idem morbus & mihi, & plusquam per dimidium annum, igne vix tolerando adurit. Non euasisssem vt credo sociorum casum, nisi & fratrum oratio, & medicinæ cura à quodam sapiente Clerico, multo mihi studio impensa, iuuisset. Euasi
 tan-

tandem Deo propitio, ac per ipsius gratiam maximus ille religionis locus, à sui generis pessimo turbationis & schismatis morbo mira celeritate conualuit, atq; ad pristinum & fortassis ex parte meliorem religionis, famæ vel rerum statum peruenit. Digressus videor à proposito. Sed quia rem vt mihi videtur non reticendam, & pro futurorum cautela perutilem, à subsequentium memoria perire timebam, occasione Domini Matthæi inuenta, cuius maximè præ ceteris studio, tantum malum sopitum est, dicenda silendo præterire timui. Redeat ergò stilus ad ipsum, & quæ de ipso restant, vt coeperat exequatur.

Quomodo in Episcopum Albanensem assumptus sit, & quàm sanctè in eo sese habuerit.

CAPVT XIV.

CAUSA iam dicta tractus ad urbem, ea sic diffinita, redire cum socijs ad propria festinabat. Sed qui nescientem vocauerat Deus, reditum impediuit, & quia super pauca fidelis fuerat, eum super multa, vt expertum dispensatorem promouit. Iniungit ei cùm honore nominandus Papa Honorius, maio.

maioris honoris & oneris pastorem curam, & eum labori suo socium adhibens, in Episcopum Albanum consecrat. Proiectus ergo ad sublimem pontificalis ordinis gradum, & super ecclesie candela-brum, ad lucendum omnibus qui in domo Dei erant magnifice exaltatus, nihil de monacho quorundam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas mansit. Nihil de officijs, nihil de cantibus, nihil de proluxa Cluniacensi psalmodia, quarumlibet curarum pretextu reliquit. Seruabat in palatio instituta claustrum, & mundo expositus, firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, a secularium vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se, nunquam magis negotiosus quam cum solus erat. Præferebat cunctis operibus suis omnibusque sanctis studijs, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, a quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post summum Pontificem, omnium ecclesiarum sibi imposita sollicitudo, eum retrahere poterant. Conquerabatur inde sæpius Papa, & alij ad curiam mane ex more conuenientibus,

I

ipsi

ipsi ad horam tertiam vix occurrenti, quod plus nimio esset monachus, velut improperebat. Nec hoc tantum Romæ, sed etiam vbiq; terrarum studiosè seruabat. Vrebatur sæpè æstiuis diebus acriore Italici solis ardore, quod matutinas in his sacris studijs occupans horas, extrahi ab ecclesia circa sextam quandoq; horam vix poterat. Et quia non solum simplex religiosa innocentia, sed & prudens erat singulari sapientia, mittebatur sæpè à magistro, ad diuersas partes orbis terrarum, & vices Apostolicas in partē ab eo vocatus sollicitudinis prudenter administrabat. Nec iuxta modum gratiæ à Deo sibi collatæ, inferior in hac parte erat Dauid, de quo scriptura sacra loquitur, quod ad imperium regis ingrediens & egrediens, in toto illo regno fidelis extiterit, cum ille in illo Iudaico, hic in longè sublimiore christianæ reipublicæ regno, totas animi & corporis vires consumendo, fidelis fuerit.

Quod cum adhuc Prior esset, pecunias à Iudæis mutuari prohibuit.

CAPVT XV.

ET quia fidelitatis vel fidei eius extollendæ causa de Iudaico regno

gno merito facta est, quod mente exci-
 derat ad hoc probandum pertinens, refe-
 ratur. Hoc enim in ipsis & de ipsis iudeis
 probari contigit. Accesserat, ut supradictum
 est, nouiter ad Prioratus sancti Martini
 curam administrandam, & inter cetera
 negotia debita monasterij, ipsi à fratri-
 bus proponebantur. Requirens ille credi-
 tores, quosdam ex ipsis iudeos esse co-
 gnouit. Statimque ad fratres ista sibi re-
 ferentes conuersus, & vnde inquit hoc
 vobis; quod christiani & monachi, à lu-
 dæis & impijs mutuas accipere pecunias
 voluistis? Quæ enim conuentio Christi
 ad Belial, aut quæ societas luci ad tene-
 bras? vel fidei, cum infidele? ite ait, ite,
 & huius improbandæ societatis vincu-
 lum, pecunias illas soluentes, festinanter
 dirumpite, & iudeis vltimus in ratione
 dati & accepti, mutui vel depositi, vel cu-
 iuslibet commercij, communicare no-
 lite vel caute. Ad hæc cum illi responde-
 rent, non posse se monasterij paupertate
 cogente, à mutuandis iudeorum pe-
 cunijs abstinere; absit, inquit, absit,
 nec vnquam deinceps sermo iste de o-
 re vestro procedat. Quo enim vultu,
 qua conscientia, ad altare saluatoris
 Christi accedere, qua fronte ad collo-
 quium

quium piæ matris ipsius venire tentabo, cum blasphemis hostibus eius blanditus fuero? Quomodo pessimis inimicis ipsorum amicus effectus, ipsis placere valebo? Quomodo illo ore, quo pecuniarum vel cuiuslibet rei causa, eis blanditus fuero, ipsos inuocare vel deprecari audebo? Videte igitur ne de his vltcrius quæstio fiat. Soluite citò quicquid eis debetis, & velut æterna lege præfixa, ab vniuersis eorum commercijs deinceps abstinete. Sic fidei zelo deuotus homo repletus, & contractus illos inhibuit, & quid amoris in intimis cordis sui, Christo Domino suo seruaret, ostendit.

De schismate Romana ecclesia, & quam viriliter catholicam partem defenderit.

CAPVT XVI.

HANC suam erga Christum & eius ecclesiam fidem, maximè illo tempore probauit, quando schismaticus furor contra vnus colubæ, hoc est eiusdem ecclesiæ vnitatem altare prophanum erexit. Diuisa erat, immò discissa, Romana prius, dehinc tota Latina Ecclesia, & primò ex magna sui parte, vbi & pecunia intrusum Leonis filium se-

que-

quebatur. Restitit ille cum quibusdam
 socijs fortiter, & quod non plantauerat
 pater coelestis, eradicare totis viribus con-
 tendebat. Ea de causa cum Pontifice suo,
 immò cum communi Papa Innocentio,
 vrbe expulsus, multa que iustitiæ causa
 perpessus est. Inde per Tyberim mare in-
 gressus, ad Gallias venit. Vbi primum
 ab eodem Domino Papa Innocentio, Clu-
 niacensi noua & maiore consecrata Ec-
 clesia, ac gemino concilio, alio Claromō-
 ti, alio Remis celebrato, totā (excepta par-
 te Aquitanix) Galliā, Hispaniā, Angliā,
 Germaniam, sibi, immò Christo, studio
 præcipuè Matthæi, Papa iam dictus vni-
 uit. In quibus partibus diu Matthæus cū
 ipso cōmoratus, per Alpes ad Italiam Pi-
 sas vsque, vbi & prius aliquam diu man-
 serat, cum eodem regressus est. Occupa-
 bat adhuc sedem Apostolicam Leonis fi-
 lius Petrus, & leonini catuli contra partē
 catholicam sæuiebant. Permittebat hoc
 Christus, & qui Antichristum, schisma-
 ticorū omniū caput, in templo Dei sedere
 permissurus est, & suos exulare, & sedem
 Petri à non suis occupari sinebat. Ea pro-
 pter mansit reliquo vitæ suæ tempore
 Pisis cū Innocentio Papa Matthæus, nec
 ei vrbe vel sedē propriam reuisere facul-
 tas

tas data est. Quo toto tempore, in nullo retrocedens, semper seipso melior virtutum profectu fiebat, & sacris semper studijs occupatus, quanto fini propinquior, tanto virtutibus exercitior apparebat.

De fine ipsius miris insignibus glorioso.

CAPVT XVII.

DE quo eius sine aliqua subdere, quia iam rei series, vel processus admonet, differre ultra non debeo. Possent quidem adhuc plura de ipso digna memoria literis tradi, sed quia hoc occupatio prohibet, illud saltem in quosuis vel nostris diebus parem non habuit, tacendum non est. Non ignoro equidem, suis illis nostrisque diebus bonæ vitæ multorum bonorum finem optimum successisse, sed quantum ad aures meas peruenire potuit, nullius iam dicto tempore transitum, miris insignibus sic contigit claruisse. Missus fuerat Benedictus vir à Domino Papa pro pace reformanda Mediolanum, & maximam post Romam Italiæ urbem, unitati ecclesiæ, à qua per Anselmum schismaticum defecerat, reddere festinabat. Dedit citò Deus optimū successum eius labori, & multos Ligurię popu-

populos, à pace catholica auersos, matri ecclesie mira celeritate restituit. Consummato dehinc, vt olim Martinus, ecclesiasticæ pacis negotio, nuum statim in se aduertit vocantis, & fluxu ventris interioribus dissolutis, viribus corporis paulatim destituebatur. Passus ante fuerat huiusmodi incommoditatem Cluniaci per annum, & graui dyssenteria liquefactus, multis fratrum pro eo fuis Deo precibus, vix mortem euaserat. Corruptus est itaque vt dixi, eodem morbo, & tam labore itineris quàm ardore solis, nam tempus tunc æstiuum instabat, co inualefcente, ad defectum naturæ coepit virgeri. Reuersus est tandem Pisas, & per aliquot menses, vir animosus cum hac inualetudine luctabatur. Nolebat, licet egritudine valdè cogereur, lecto decumbere, nolebat de labore solito quicquam intermittere, nolebat corpori suo vel in modico parcere. Tolerabat constanter Apostolicæ curiæ labores, causis ecclesiasticis nunquam deerat: fratrum se subtrahere vtilitatibus nesciebat. Diuina obsequia, quibus, vt supradictum est, se totum à puero dedicauerat, irrequietus frequentabat. His totum more suo se impendebat, vt quantum ad illa, sic æger esse

nesciretur, sospes & alacer putaretur. Orationes cōtinuæ, oculi assiduè in lachrymas defluentes; psalmodia vtpotè Cluniacensis, totum penè diei noctisque tēpus occupans, cui cor, cui linguam, cui opera, cui tandem se totum deuouisset; id monstrabant. Illud autem, illud inquam singulare suum refugium, quod omni ferè vitæ suæ tempore, insatiabili desiderio perpetrauerat, altaris dico sacrificiū, nulla vis morbi, nulla debilitas, vt vel vna die intermitteretur, cogere poterat. Pugnabat cum morbo, singulari deuotione pertinaciter, & vt de iam dicto suo Martino legitur, pro modo vel posse suo, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Productum est hoc eius salubre certamen, ab Idibus Iulij, vsque ad Kal. decēbris, quo toto tempore, artus languore solutos, violenter spiritui seruire coëgit, nec alicuius suasu, ab his diuinis vel similibus sacris operibus reuocari potuit. Tandem prima aduentus Domini hebdomada, omnimodum iam naturæ defectū ferre non valens lecto decubuit. Et cum iam non valdè remotum, mortalis vitæ suæ finem instare sensisset, aduocat fratres sibi obsequentes, vocat & famulos, & benignè illos alloquens & consolans,

lans, adiungit. Oro vos (inquit) fratres & filij, vt quia me in proximo recessurum à rebus humanis intelligo, valedicatis ex parte mea, & affectuose salutetis, in primis Dominū meum & patrem Cluniacensem Abbatē, Priorem & suppriorē. Hugonem Camerarium, & Arbertum sacristā, totumq; simul fratrum nostrorum Cluniacensium conuentum, Abbatē vizeliacensem Albericum, & Priorem de charitate. Specialiter autem intimos & præcordiales filios meos, apud S. Martinum de Campis Deo seruientes, quos ego prout melius potui, in Dei seruitio educaui. Hæc benedictus vir dicens, non solum quantum in Deum, sed etiā quantum in fratres & filios honoret affectū, ostendit.

*De visione quam vidit de ipso Prior
Sancti Zenonis.*

CAPVT XVIII.

NON multos verò ante dies, Prior monasterij S. Zenonis, quod Pisis constitutum est, viderat in somnis eum, de quo agitur, habitu monachali indutum, ei que puerum venustæ formæ, qui etiam regis filius dicebatur, adstare. Præferebat autem idem puer

1 5

mani-

manibus librum, aureis literis scriptum. Quem cum aperuisset, venerabili illum Matthæo offerens, vt legeret, suadebat. Cumque ille responderet, quid sibi lucris de lectione illa prouenturum esset, adiecit puer, Percipies (inquit) huius libri lectione, omnium linguarum notitiam. Qui postquam legit, interrogatus à puero, Hebraica lingua, Hebraicè respondit. Sciscitatus & Græca, respondit eadem. Et puer. Sicut inquit in his duabus te peritum probasti, sic & vniuersarum diuersitatem linguarum, te noueris affecutū. Dixit hoc, & statim ei regale palatium, mirabili pulcherrimaque structura insignne, monstrauit, & vt ingrederetur precepit. Cumque ille se quia imparatus esset, ingredi non posse respondiisset, adiecit puer. Vade inquit, & vt ingredi possis, cito te parare festina. Cessit ille in partem, & vniuersis tam sacerdotalibus quam pontificalibus indumentis se citò componens & ornans, ad puerum statim reuersus est. Cū quo & alios innumerabiles angelici decoris pueros inueniens, ad designatū palatium accessit, & omnibus letata ac sublimi voce cantantibus, Alleluia, Benedicamus patrem & filium cum sancto spiritu, in illud ingressus est.

De vi.

De visione alterius fratris.

CAPVT XIX.

ADVENERAT penultima aduentus Domini hebdomada, & frater alius de alio sancti Michaelis monasterio, quod itidem Pisis est, conspexit similiter in somnis venerabilis viræ Ioānem prius Camaldulensem Priorem, deinde Episcopum Ostiensem, velut ad se venire. A quo cum quæsisset dicēs, quo vadis Domine? ille respondit. Pisas venio, vt fratrem meum Albanum Episcopum assumam, & numero nostrorū adiugam. Scias autem, quod octauo Kalendarum Ianuarij, ad nos venturus, & nobiscum perpetuò mansurus est. Has visiones, imò ad meritum hominis declarandum reuelationes, earum inspectores sicut ante eius obitum viderunt, sic & ante quibusdam, & insuper illi qui hæc mihi retulit, bono & fide digno viro retulerunt.

Quomodo demones signo crucis à se fugauerit, & de infatigabili eius ad Deum intentione.

CAPVT XX.

SVCESSERAT iam nos Dominicæ proximè præcedētis natiuitatē Domini.

mini, & benedictus vir morbo diutino fatigatus, quiescētibus socijs in lecto decumbebat. Et ecce subito velut in perturbatam vocem prorumpens, circumiacētes vocauit. Quibus astantibus, horribilē malignorum spirituum turbam sibi apparuisse, seq; valde terruisse, narrauit. Ita (inquit) mihi conspicui fuerunt, vt mirū mihi sit, si vos latere potuerunt. Qui signo quidem crucis à me facto, paucifaci, statim disparuerunt: pessimas tamen intolerandi fœtoris reliquias, recedentes reliquerunt. Festinanter ergo Cancellarium Domini Papæ accersite, & vt me venire festinet, rogate. Factum est, & Cancellario religioso & sapienti viro post paululum venienti, rursus quod viderat narrat. Qui sapienter eum ne timeret hortatus, & communem omnium etiam valdè bonorum de seculo migrantium, hunc esse transitum dicens, simulque rei congruentia adiungens, bonum virum benignè in Domino confortauit, & ad expectandum bona spe exitum suum, religiosi sermonibus animauit. Urgebatur ille magis morbi grauedine ad extrema, nec vt iam dictum est, suspenso prorsus in cœlum corde, à diuinis officijs vel operibus auocari poterat. Non nouerat.

iuxta

iuxta psalmum, os eius iam loqui opera
 hominum, nec aures eius, humana audi-
 re patiebantur. Si quis ei sermonem de
 rebus transitorijs afferbat, cum nullum
 prorsus responsum redderet, non audisse
 putabatur: Si verò quis de spiritualibus
 sermonem coram eo proferret, statim il-
 luc conuertebat auditum, & velut nihil
 patiens, paratissimè respondebat. Quo-
 tiescunque ad eum Episcopi, quotiens
 monachi, quotiens religiosi clerici, quo-
 tiens ipsi socij accedebant, totiens & vni-
 cuique suum confiteor Deo, quod in mo-
 nachatu pro more didicerat, proferebat.
 Confitebatur sic omnibus, absolui po-
 stulabat ab omnibus, commendabat se
 omnibus, sicque licet sancta anima iuxta
 quod scriptum est, vt sanctus sanctificetur
 adhuc, confessione, oratione, fratrum
 absolutione magis sanctificari contende-
 bat. Protraxit ista vsque ad vltimum vitæ
 spiritum, nec optimus diuque protractus
 deuoti animi vsus eo vel parum
 spitante, deficere po-
 tuit.

De reuelationibus ante mortem illi ostensis, & de gloria quam sibi preparatam vidit.

CAPVT XXI.

OSTENDIT benignus saluator antequam ille ex toto deficeret, hæc eius opera, hæc eius studia sibi placuisse, & quo pro his post mortem demigraturus esset, ex parte monstrauit. Iacebat ille in lecto, nocte iam secundam feriam præcedente, & nocturnas laudes, parùm ante tempus, quia sic ipse iusserat, socij decantabant. Et ecce circumsonante vndique Psalmodia, subitò ille rapitur, & à sensibus humanis alienatus, ipsa vultus immutatione cognoscitur. Instant fratres acrius diuinis officijs, & velut tunc defungi deberet, expectant. Arripit frater Pontius, multa ei diu propter honestos mores familiaritate coniunctus, arripit inquam Euangelium, & ei assidens, passionem Domini secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, deuotè recitat. Cumque his perlectis, finem legendi fecisset, & vbi est, inquit ille beatus vir, Passio Domini secundum Ioannem? Si placet fili, lege & illam. Verè beatus vir, totusque vt supra dixi, spiritu & mente diuinis intentus,

qui

qui nec raptus ad inuisibilia, & corporeis sensibus penè emortuis sacratum rerum obliuisci poterat. Perlecta igitur & illa quarta secundum Ioannem passionis Domini lectione, retribuatur inquit tibi omnipotens Deus fili, cuncta quidem à te mihi semper impensa beneficia, sed specialiter hoc in æterna retributione seruitium. Noueris autem pro certo, me mortuum fuisse, atq; ad inuisibilia & cælestia raptum. Esto ergò securus, me amodò hac nocte minimè moriturum. Vade igitur interim, & quiesce. Redibis autè mane factò ad me, & tunc miranda quæ vidi narrabo. Indictò tēpore redijt ad eum iā dictus frater cum socijs. Cumque psalmis primæ diei horæ decantatis, tempus iam loquendi adesset, ait ad socios. Verba autè eius ab eo Latinè prolata, nihil addens, mutans vel minuens dicturus sū. Ite (inquit) ad Dominum Cancellarium, & dicite ei, vt dicat Domino Papæ, quatenus huc veniat, & eijciat me de sepulchro isto, in quo iaceo. Et certè ipse libenter hoc faceret, si sciret lectulum qui mihi præparatus est. Nō fuit enim lectulus tantæ pulchritudinis, tam miræ suauitatis, sicut ille qui mihi præparatus est. Ego autem mortuus in ista nocte fui, & fui

ante.

ante Dominum meum Iesum Christū,
vidique beatam Mariam matrem eius, &
ipsum, qui concessit mihi locum ad pe-
des suos, ibique sedebo. Cumque fratres,
quibus ista narrabat, eum rogarent, vt re-
rum quas viderat, statum, modum, vel
beatitudinē iadicaret, & quis, ait, o fratres
hoc posset? quis certē posset bonum il-
lud, felicitatem illam, illa ineffabilia, &
mortalibus incognita bona narrare? Non
est, non est, planē aliquis mortalium, qui
hoc posset. Seruatur (inquam) inter innu-
mera; quæ ibi conspexi disciplinæ reue-
rentia singularis, cunctaque ibi ad vnguē
ordinata subsistunt. Et cum post ista pau-
lulum conticuisset, pœnitet (inquit) me,
non quæsisse à Domino, quid de illa sua
Cluniacensi domo facere decreuerit, vel
quid de statu illius, penes ipsum sit. Res-
pondente verò fratre supradiçto ad hæc
non esse curandum, si hoc tunc à mente
eius exciderit, quia ipse Deo astans, pro
eadem domo cum precaturus esset, ille
adiexit. Et verè (inquit) ac libenter hoc
facturus sū, ipsumque pro illa, totis animi
affectibus deprecabor. Ecce verè mens
hominis, semper quidem, sed nunc ma-
ximè dedita Deo, à qua post summum
illum & præcipuum diuinitatis affectū,
amor:

amor fratrum suorum & cura, nec in vltimis excidere poterat. Eadem die ad vesperum vel vesperam, adiit eum visitationis gratia, magnæ & probatæ religionis vir, Guilielmus Prænestinus Episcopus, & more bonorum infirmitati eius compatiens, eum consolabatur. Cui venerabilis Matthæus inter cetera retulit. Venit inquit hac nocte ad me vir reuerendi vultus, multa ac venusta, tam capitis quàm vestium albedine decorus. Videbatur autem, esse de incolis cremi. Qui me de hac domo educens, pratum insigne traduxit, indeque ante Dominum adduxit. Vernabat autem pratum illud per quod ductus sum, amoenitate singulari, nec aliquid ei iocunditatis deesse videbatur. Ibi arbores omnigenis fructibus grauidæ, ibi rura gramini viridissimis, ac floribus super omnem decorem pulcherrimis depicta, ibi quicquid visu delectabile, quicquid olfactui odoriferum, quicquid sensibus vniuersis iocundum. De quo si quis vel florem vnū obtinere mereretur, omnibus vitæ suæ diebus sanior, omnibus alacrior, omnibus felicior existeret. Recedente ergò ab ipso, iam dicto Episcopo, venit eadem visitandi causa, & Ioannes Cluniacensis monachus tunc Domini

mini

mini Papæ Capellanus, post verò Perusinus Episc. & cū eo similiter colloqu coastit. Cui cū diceret, videri sibi quod in proximo moriturus esset, respōdit ille. Nō hac certè, non hac nocte moriar. Datū n. mihi est à Domino, vt ea die qua ipse de virgine natus ad homines venit, eadē ego ab hominibus recedēs, ad ipsum eius præua misericordia pergā. Verè misericors Dominus, verè seruorum benignissimus consolator, verè iuxta cant. Moyli seruorū suorū miseretur. Nō obliuiscitur consolari eorū diuturnos labores, nec eorū obsequia sibi deuotè impensa contēnit. Verè secundū quod ipse ait, quemadmodū mater consolatur filios suos, sic & ipse nō solū in futura vita, sed etiam quandoq; in ista cōsolatur, delinit, letificat seruos suos, vt hic gaudia sequentia prægustantes, ineffabili dulcedine trahantur, & adhuc in corpore positi, toto illuc animi desiderio rapiantur. Noluit enim magnam illam multitudinem dulcedinis suæ quam abscondere solet timentibus se, à Matthæo nondū à corpore mortis liberato ex toto abscondere, nec ea quæ daturus erat, omninò post mortem differre. Præmisit inde signa aliqua etiam ante mortem, vt & ipse ad ea sperāda vel amāda, multo magis animaretur, & quale illius apud ipsum

me-

meritum esset, ignorantibus proderetur. Mansit ergo beatus vir, tam præclaris reuelationibus recreatus, alacrior usque ad extrema, & in Domino confortatus, suam illam horam ultimam expectabat.

Quomodo sanctè & gloriosè, natalis Domini die, prima lucescente aurora, de hoc mundo transferit.

CAPVT XXII.

IAM verò ipsa natalis Domini vigilia, transcursis more suo deuotè tam nocturnis, quam diurnis officijs, iamque vespertina hora instante, Dominicum corpus sibi rogat afferri. Quo allato, audite (inquit fratribus) confessionem meam, & fidei meæ hic & in æternum testes adestote. Confiteor (ait) hoc sacrum Saluatoris mei corpus, illud verè & essentialiter esse quod de S. Virgine ab ipso sumptum est, quod pro mundi salute in cruce pependit, quod in sepulchro positum est, quod tertia die à mortuis resurrexit, quod in cælos ascendit, quod vèturum est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Per ipsum credo incorporari ei, & fieri vnū cum ipso, & habere vitam æternam. Hoc dicens, relictus coram fratribus, eodem salutari Christi corpore, per carnem illam quæ dat vitam in æternum, ad æternitatem futuram idoneus factus

est

est. Cumque prima sacrae noctis vigilia aduenisset, & signa totius urbis ad nocturnas laudes pulsari audisset, statim tota mente ac voce, in vocem exultationis prorumpens, qua poterat voce, quo poterat gestu laetitiae, Christus natus est nobis, gloria in excelsis Deo, socijs & omnibus inelamabat. Angelico vero hymno sicut ad missas canitur, ex integro decantato, reliqua circumstantibus ad quae non sufficebat dimisit. Animo tamen ea ad illas sacras Dominici natalis laudes suspensus, quoties in cantibus, quoties in lectionibus, beatæ Virginis matris Domini nomen legi vel cantari aduertebat, toties oculis fursum leuatis, toties manibus in caelum extensis, ubi mens eius conuersaretur, quo sancta illa anima raperetur, monstrabat. Iamque nocturnis laudibus consummatis, dum sacerdos astans sacro altari, missam quae dicitur de nocte cantaret, erexit se nisu quo potuit, & iuuantem se quodam fratre, quia vires ad standum deerant, in lecto resedit. Conuersusque ad Dominicam crucem quae coram erat, velut si in ipsa Saluatorem, vt olim crucifixum conspiceret, ait. Iam ô misericors saluator tempus est, vt quod promissisti adimpleras, & tuo instante natali à vita mor-

ta mortali migrandi, & ad te qui vita es
 æterna transmigrandi, licentiam conce-
 das. Hoc ultimo verbo postquam cun-
 ctis sermonibus suis finem dedit, in lectū
 reclinatus, indeque post modicum, ad ci-
 licium cinere conspersum, à fratribus
 translatus est. Sæpè autem eosdem fratres
 ante rogauerat, ne se casu aliquo, nisi in
 cinere & cilicio, Christiāo more mori per-
 mitterent. Timebat enim ne qualibet in-
 firmitatis eius compassione ducti, hoc
 prætermitterent vel negligenter. In quo
 sicut & in alijs, Martini sui exempla &
 verba sequi nitebatur, qui sicut omni-
 bus notum est, discipulis moriens prædi-
 cabat, non debere Christianum nisi in ci-
 nere mori. Vbi & Matthæus à suis vel
 fratribus vel discipulis collocatus, horam
 vocationis suæ ultimam sustinebat. Qua-
 iam instante, dum noctis tenebræ in lucē
 verterentur, & à monachorum in eadem
 ecclesia constitutorum conuentu, ad se-
 cundam missam cantaretur, lux fulgebit
 hodiè super nos, Matthæus verè mona-
 chus & Pontifex Dei, densas Ægyptiorū,
 hoc est mundi huius tenebras deseruit,
 & per mortem carnis, ad sempi-
 ternam lucem & vitam
 peruenit.

Dexte-

De exequijs eius celeberrimis, & tumulatione honorabili in basilica sancti Fragdiani.

CAPVT XXIII.

FERTVR statim iusti corpus à deuotissimis viris in claustrum monachorū, & Cluniacensī more psalmodia vndique decantatur. Abluitur vt se habet communis mos, & secundum quod ipse iusserat, suo nunquam à monacho caruerat cilicio prius, dehinc monachali cuculla vestitur. Adduntur à fratribus sacerdotalia vel pontificalia indumenta, & his sacerdos & Pontifex Dei, vt dignus ornatur. Accurrit accepto nuncio, & ipse summus Pontifex Innocentius, atq; cum ipso Episcoporum & Cardinaliū, totaque Romanæ Ecclesiæ vel curiæ plenitudo. Cōgregatur, penè tota vrbs Pisana, & illud cernere illi obsequi, omnibus suis negotiationibus anteponunt. Osculātur plurimi manus vel pedes iacētis, & se sanctificari tali contactu vel osculis, non irrita fide confidunt. Consueuerat vrbs illa multo quæsita labore marina negotia aucupari, & à remotis Africæ vel orientis partibus, prætiosa quæq; conuehere. Impleuerat sinum suum congestis vndique mul-

multarum gentiū mercibus, & inde cun-
 ctis penè Italię urbibus ditior efficta gau-
 debat. Suscipit tandem vniuersis Ægyp-
 tiorum opibus præferendam, missam si-
 bi ab vltimis Gallię finibus Margaritam,
 eamque se longè quàm prius ditiorē esse
 lætatur. Ostendit in isto mortuo, quan-
 tum præponderent terrestribus thesauris
 cœlestes gazæ, quantumque opes Chri-
 sti, etiã post mortem, opes viuentiū ante-
 cedant. Iacebat ille extinctus, neque ali-
 quid in mundo vel possidebat, vel scie-
 bat. Venerabantur tamē eū viuentes, re-
 uerebantur potentes, efferebant laudibus
 locupletes. Discernunt etiã amatores mū-
 di, & ipsis obsequijs quæ sanctis impen-
 dunt dijudicant, quantū subiaceant terre-
 na cœlestibus, humana diuinis, fugitiua
 sempiternis. Seruatū est corpus venerandi
 hominis, toto illo die natalis Domini, &
 psalmis ac Deo fuis precibus frequenta-
 tū. Sequenti die, hoc est, in festo magni il-
 lius martyris Stephani, obtulit pro eius
 æterna requie, iã dictus Papa Innocen-
 tius solemne Deo sacrificium, & deuo-
 tē supernam pietatem, pro Pontificis la-
 borum suorum cōparticipis requie, im-
 plorauit. Fecerunt idem & Episcopi qui
 fortè tunc aderant, & simul omnes fu-
 sis Deo

sis Deo

sis Deo precibus, euntem ad peregrina
Coepiscopum deduxerunt. Tandem cir-
ca horam diei sextam, præmissis omnib⁹
christianæ sepulturæ ceremonijs, astante
insuper clero & populo ciuitatis penè v-
niuerso, in ecclesia sancti Frigidiani olim
Lucensis Episcopi, quæ Pisis habetur, vit
vita, morte, famaqué venerabiliter ad se-
pulchrum delatus, ac tumulatus est. Sep-
tem deinde annis exactis, cum ad urbem
proficiscerer, causa reformandæ pacis in-
ter Pisanos & Lucenses, specialiter tamen
eius tractus pia recordatione, Pisas adij.
Secunda dehinc aduentus mei ad illam
urbem die, cum socijs ad charissimi meq⁹
sepulchrum accessi, eiusque sacros cineres
vt dignum erat visitans & honorans, sa-
lutarem pro eo hostiam obtuli. Et licet e-
ius meritis multò magis me iuuari posse
considerem, omnipotenti tamen crea-
tori, ac benignissimo redemptori, vnani-
mem mihi dum viueret hominē, quan-
tis tunc datum fuit precibus & fletibus
commendauī. Requiescat ergò per im-
mensam ipsius omnipotentis miseri-
cordiam in perpetua pace, fidelis, deuo-
ta & accepta Deo anima fruaturque pe-
renniter fructu bonorum operum suo-
rum, nec obliuiscatur erga Deum se di-
ligen-

ligentium, fratrum & filiorum suorum.

*De quodam malo monacho pessimè
mortuo.*

CAPVT XXIV.

POST illa miranda opera vel signa quæ ad legentium vel audientium spiritualem ædificationem suprâ præmissa sunt, sequatur & istud quod post vniuersa illa me comperisse contigit. Nec solum me post illa hoc comperisse contigit, sed insuper post illa omnia prouenisse accidit. Fuit in monasterio Lehunensi, ecclesiæ Cluniacensi subiecto, frater quidam nomine & habitu monachus, sed vita & moribus monasticæ conuersationi & sanctitati non parum aduersus. Hic strenuus & perspicax in humanis, hebes & obcæcatus erat in omnibus ferè diuinis, & ad monasticum propositum pertinentibus rebus. Corripiebatur sæpè à Priore suo, & à religiosis fratribus in iam dicto monasterio, cum eo simul morantibus, & multa propter excessus suos frequenter tam verborum, quam verberum sponte vel inuitus probra ac iniurias tolerabat. Videbatur aliquando in eo proficere spiritualium cura

K

medi-

medicorum, & specie tenus conuersus à prauis studijs putabatur. Sed paruo interiecto tempore, non solum in nullo melior, sed insuper omni spreto coelestis medicinæ labore, seipso deterior apparebat. Producta est hæc eius pertinacia multo tempore, nec alicuius studio finire potuit, quousque eo indurato, ille qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, congruum tam diuturnis malis finem imposuit. Depositus erat ab exteriorum administratione, meritò culparum suarum & inuitus ac murmurans, regularibus claustris septis retinebatur. Non potuit tandem pati tam odibilem sibi clausuram, & diabolico dolore stimulatus, carceris sui iniurias in Priorem vel fratres suos casu aliquo refundere gestiebat. Erant prope ipsam Ecclesiam, horrea, ad reconduendas fruges monasterij præparata. Cōcluserant intra eadem Prior ac fratres suum penè totius anni victum, & tam ad esum quam ad potum sibi ex ipsis frugibus necessaria præparauerant. Nam quia terra illa parum vini fertilis est non solum panem ad edendum, sed & ceruisiam ad bibendū, ex ipsarum frugum succo conficere soliti erant. In hæc fratrum victualia nequam ille exarsit. Et arbitratus mala
quæ

quæ pro sceleribus suis à fratribus per-
 pessus fuerat, damnis eorum se eis opti-
 mè recompensaturum, igne horrea præ-
 dicta succendere parat. Vnde clauis clau-
 stri fur nocturnus furatus, de claustro e-
 greditur, & vniuersorum absentia explo-
 rata, occultè igne horreis iniicit, sic quod
 ad claustrū nullo sciente regreditur. Iamque
 fratres matutinis pro more finitis lau-
 dibus, ad strata propria reuersi fuerant, &
 ecce immixtus à monacho ignis paula-
 tim succrescens, in manifestas subitò flā-
 mas erupit. Exclamat ille sacrilegus pri-
 mus, & velut innocens & inscius facti
 quasi ad extinguendum cum alijs accur-
 rit. Laborantibus tamen cunctis & ad flā-
 mas extinguendas pro posse occupa-
 tis, respicit ille nec adiuuat, & velut vltio-
 ni congratulans, ociosus spectator assistit.
 Non tulit hoc in longum diuina censura,
 nec (vt de similibus solet) tantum nefas
 in posterum punire distulit. Mox enim
 eum percutienti angelo tradens, inuisibi-
 li gladio peremit, cunctisque qui aderant
 videntibus, morte præsentis pariter & æ-
 terna frustra. Fratres tam subitò &
 horrenda eius morte perterriti, elisum
 ad terram, iamque exanimem, in ma-
 nus suscipiunt, atque ad abluendum pro

more deferunt. Iamque illi ad lauandum nudato, clauem quam paulò ante furatus fuerat, cum nephanda manu adhuc tenentem reperiunt. Placuit ita Deo & ad corrigendos pertinaces in malo homines, sic disposuit. Nam cum vitali spiritu recedente, mos sit vniuersa corporis membra dissolui, manum mortui huius ad retinendam clauem quam ad tantum scelus perpetrandum furata fuerat, tenacem reddidit. Fecit hoc ne vindicta tanti sceleris casui deputaretur, fecit, vt virus eius notum fieret, vt maiore miraculo seipsum ne quam ille quod viuens noluerat, mortuus proderet & vt omnes ad quos tam pessimi criminis fama pertingeret, à consimili opere deterreret. Iam dictæ igitur clauis & aliarum quas nunc reticeo rerum indicijs, de tanti mali auctore certificati fratres, cadauer illud cuius animam iam inferus possidebat, vtpote furis, sacrilegi, incendiarij, excommunicati, à consortio sanctorum corporum expulerunt, & procul extra Christianum cimiterium proiecerunt.

*De visione quam ego Roma positus
vidi.*

CAPVT XXV.

LICET autem propositum meum sit, vt in narrandis huiusmodi miraculis, aut nunquam aut raro somnia admittebam, quia frequenter aut falsa sunt aut dubia, quoddam tamen somnium inter hæc quæ narro, miraculo, quia fide dignum videtur admisi. Nam vt sanctus Pater noster Odo in vita sancti Viri Geraldii scripsit, somniorum visiones non semper sunt inanes. Probat hoc penatæcus in primo Genesis libro, probat & ipsum vt cunctis notum est Euangelium. Audite ergo somnium meum quod vidi. In primordiis Pontificatus Domini Papæ Eugenii, ad visitandum tam ipsum quam communem matrem Romanam Ecclesiam, Romam adij. Illuc perueniens, apud Cardinalatum sanctæ Mariæ nouæ, quod iuxta antiquum Romuli templum constructum est, hospitium suscepi. Ibi dum nocte quadam quiescerem, ecce vir venerandæ vitæ Dominus Guilielmus qui nuper de vita excesserat, mihi dormienti visus est in somnis astare. Et quia frequenti narrationi hoc ne-

K. 3.

cessa-

cessarium est, quis iste vel cuius vitæ fue-
 rit, quo insuper euentu ex hac vita migra-
 uerit, breuiter inferendum est. Fuit hic
 iuxta carnē nobilis, iuxta spiritum longē
 nobilior à primis adolescentiæ annis reli-
 gionis amator: in quam quamdiu adui-
 xit, hoc est ferè usque ad senectutem, bo-
 nis meliora semper addendo, profecit.
 Angelicæ monachus munditiæ singula-
 ris in pauperes & desolatos misericordie,
 Zelo Dei contra negligentes, & maximè
 contra grauiter dereliquentes totus ig-
 neus, exceptis nocturnis & occultis vigi-
 lijs, dimidiam partem diei quotidianis o-
 rationibus & lachrymis pænè semper oc-
 cupans. Et licet hæc principaliter de eo
 scribam, quia in his hic specialius effulsit,
 non tamen solo hæc de ipso vel in ipso
 commendo. Nam quantum facultatis
 & scientiæ in eo fuit, iuxta morem &
 modum Cluniacensis ordinis ac propo-
 siti, sacris semper etiam aliarum virtu-
 tum exercitijs inuigilauit. Hoc merito, &
 quia præter hæc quæ dicta sunt in exterioribus
 administrandis multam à Deo sibi
 collatam gratiam obtinebat, multis cum
 & magnis monasterijs diuerso tempo-
 re ut res exigebat præfeci. Unde Amber-
 to Caroloco, Celsinanijs, Siluiniaco, ipsi
 tandem

tandem Cluniaco, à me in Priorem præ-
 latus, indeque in Abbatem Moysia cen-
 sem assumptus, vbique iam dictarum
 virtutum signa impressa reliquit. Casu
 dehinc interueniente quem nominari
 nulla necessitas cogit, dans locum iræ, à
 loco illo recessit, & Cluniacum redijt. V-
 bi aliquanto tempore, camerarij hoc est
 fratrum procuratoris officio functus, ad
 vltimum, ad Prioratus administratio-
 nem earum loco remissus est. Illic assue-
 tis religionis & disciplinæ studijs toto
 conatu intentus, dum nulli prorsus in
 causa Dei parceret zelo (vt iam dixi) iu-
 stitiæ totus ignitus, à quodam nequissi-
 mo, qui sibi prouenire timebat, quod de
 alijs delinquentibus ab eo fieri cernebat,
 insidias passus, venefica fraude extingui-
 tur. Talem vitæ terminum sortitus bon^{us}
 vir, regno cœlorum dignus factus est, cõ-
 iunctus illis vt iustum est credere, de qui-
 bus Christus veritas ait, beati qui perse-
 cutionem patiuntur propter iustitiam,
 quoniam ipsorum est regnum cœlorũ.
 Vnde quia non solum propter iustitiam
 iam persecutionem passus est, sed etiam,
 quod maius est, propter iustitiam mor-
 tuus est, meritò dignus iudicatur regno
 cœlorum. Fraus ergo qua tantus vir vitæ

subtrahitur est, quibusdam indicijs ante-
 quam Romanum iter aggrederer, ad me
 delata, in quaestionem versabatur. Sed iti-
 neris accelerato quaestionem impediens,
 ad finem rem perducere non permisit. Ita
 interim de tam nefanda re anxius & du-
 bius, propositum iter incepi, & Romam,
 vt superscripsi, perueni. Ibi loco, tempo-
 re, modo, quo dictum est, venerabilem
 Guilielmum mihi adstare conspicio, quē
 cum viderem valdē gauisus surrexi, &
 multo cum affectu amplecti eum & of-
 culari coepi. Licet autem altus sopor ex-
 teriorum sensuū officia occupasset, vige-
 bat tamen velut in vigilante memoria,
 meq; dormire dormiens non ignorabā.
 Nec illud mente exciderat, illum qui vi-
 debatur, in somnis videri, nec eram im-
 memor ante non multū temporis mor-
 tuum, & dolo, quē supra scripsi, extinctū.
 Quodq; magis mirum est, & illud nescio
 qua vi occulta naturae statim menti oc-
 currit, non posse mortuum diu cum vi-
 uente morari, nec prolixum sermonem
 miscere. Vnde priusquam recedere virtu-
 te inuisibili cogere, interrogare illum
 festinanter de quibusdam decreui. Quae
 tamen vt non phantastica sed verax quae
 apparebat visio videretur, nequaquam
 prius.

prius præmeditatus fueram, sed tunc ea dormiens nutu vt arbirror Dei nouiter menti occurrentia, cogitare incipiebam. Quatuor ergò quædam, quæ nescio unde dormienti occurrebant, interrogando ei proposui. Quomodo (inquam) vobis est Domine Prior? vocans eum non ex proprio nomine, sed ex officio. Ad quod ille breuiter vt fuerat semper breuiloquus, ac bis vel ter ex more verba replicans, respondit. Multum (ait) mihi bene est, multum mihi bene est. Huic primæ interrogationi secundam subiunxi. Vidiſtis adhuc Dominum? & ille. Assiduè video, assiduè video. Hic duabus, & tertiam addo. Est ne (inquam) certum quod de Deo credimus? est ne absque dubitatione, vera fides quam tenemus? Nihil (ait) ita verum, nihil ita certum. Et quartò. Verum est (aio) quod fama refert, verum est, quod multi opinantur, quosdam quos ipse non ignoratis fraude sua ac veneficio vos occidisse? Verum est (inquit) verum est. His dictis, & ipse disparuit, & ego, euigilans ea quæ videtam recolere & admirari incipiebam. Interim dum hæc ægerem, & visa memoriæ commendarem, rursum somno opprimor, & sicut in hyemalium nocturnum prolixitatibus, nam dies

K 2

aduena-

aduentus Domini tunc instabant, iterum caput ad dormiendum compono. Nec mora, adest qui supra, & se eodem modo quo prius ostendit. Occuro & ego illi non segnius quam ante & visionis præmissæ omninò immemor, amplecti cum & asculari, vt prius cœperam. Quid multa? Nihil plus minusve in animo meo, nihil plus vel minus in ore meo, in hac secunda visione fuit quam in prima fuerat. Eadem quæ supra interrogo, eadem quæ supra audio, de statu suo, de visione Dei, de certitudine Christianæ fidei, de morte sua, ordine quo præmissi à me interrogatus, eadem nec pauciora respondit. Huic tamen secundæ visioni, in fine aliquid additum est. Mox enim vt dixit se verè dolo falsorum fratrum extinctum, in fletus amarissimos vt mihi in somnis videbatur prorupi, & quia iam de facto non dubitabam, tantum nefas insatiabilibus lachrymis deplorabam. In fletibus istis euigilans, oculos humectos, genasque meas recentibus lachrymis tepentes inueni. Vt verò huius visionis vel somnij indubia veritas commendaretur, regressus ab vrbe atque ad Galliam nostram rediens & Cluniacum perueniens, quæ de morte sancti

viri suspicatus fueram, ipsius nefarii par-
 ticidee publica confessione vera fuisse
 probaui. Quem gehenna dignissimum,
 quia gladio, laqueis, ignibus, vel extremis
 nefandorum supplicijs, Ecclesiastica pie-
 tate prohibente, punire non poteram, exi-
 lio perpetuo quod pænè solum licuit, in-
 fernalem proditorem damnaui. Nam sa-
 crosanctis Euangelijs abhitis, compul-
 sus est in publico Cluniacensi capitulo
 me praesente iurare, quod transactis tri-
 bus sibi à me praefixis mensibus, nun-
 quam deinceps intra terminos vniuer-
 sam Galliam concludentes maneret, sed
 extra illos locum salutis suae aptum requi-
 reret, & in inuento loco Deo pro peccatis
 suis dignè satisfaceret. Hæc superscripta
 visio licet in somnis apparuerit, idcirco
 mihi fide digna videtur, quia & dormi-
 tis tam integra in tantis (vt dixi) memo-
 ria, & iterata ac per omnia primæ similis
 secundæ visionis præter illud quod in vl-
 timo exceptum est, forma, atque ipsius
 detestandi hominis publica confessio,
 non falsam sed veram eam, vt
 arbitror, omninò de-
 monstrant.

De visione fratris Enguizonis.

CAPVT XXVI.

SVBIUNGATUR & huic visioni altera, quæ quamuis in somnis ut illa apparuerit, veram tamen fuisse, ipse rei exitus cōprobauit. Venerat Cluniacum meo tempore conuersionis causa nobilis vir Enguizo nomine, & ut in primordijs suis erga diuina magis exerceri assuesceret, locum quiescendi ad seruiendum Ecclesiæ, in Ecclesia suscepit. Vbi dū quadam nocte dormiret, videt quendam olim commilitonem suum qui Petrus dicebatur de Rocha, quod castrum in Gebennensi diocesi situm est. Defunctus verò fuerat iam dictus miles in hyseroso ymitano itinere ante non multum tempus, sed eius obitum supra nominatus frater penitus ignorabat. Nondum enim vel tenuis fama mortis eius, ad eum peruenerat. Visus est ergo ei (vt dixi) iam dormienti in specie illa, qua cum in seculo videre consueuerat. Gauisus est frater, & vt optimè notum ac familiarem, cum alloqui familiariter coepit. Quid est, inquit? quomodo te habes? Ego, ait ille, in transmarrino itinere quod te (vt nosti) conscio
coepi

coepi, defunctus sum. Et frater. Quid est
 ergo & de socijs qui illud iter tecum ag-
 gressi sunt. Illi (inquit) & illi, iam de vita
 excesserunt, illi verò & illi, adhuc super-
 suat. Quomodo (inquit) tibi est in statu
 illius vitæ, ad quam transisti? Ad hæc il-
 le. Bene (ait) mihi est quia misericordiam
 quam à Deo sperantem, iam consequu-
 tus sum. Obest tamen adhuc multum, &
 obstat plenitudini salutis mee, quod pro-
 ximo tempore antequam Hierusalem
 pergerem, sacerdotem Ecclesiæ de Seco-
 niaco, quandam à me decimam exigen-
 tem, per vineam quandam fugavi, & in
 exitu vineæ irreuerenter percussi. His fra-
 ter auditis, & quid (ait) de me tibi vide-
 tur? Potero consequi salutem quam spe-
 ro? Saluaberis (inquit) sed ante salutem
 multa & graua patieris. His dictis, is
 qui apparuerat miles disparuit. Frater à
 somno euigilans, cuncta quæ viderat vel
 quæ audierat, mihi statim mane reculit.
 Rogauit insuper, ve liceret ei partes illas
 de quibus miles ortus fuerat, & in qui-
 bus ea de presbytero acta fuerant adire,
 & vtrum vera an falsa esset visio iam di-
 cta, probare. Nam sicut mortem militis
 nullus ei ante militem nūciauerat, si nec
 de sociorum eius morte aut vita, si nec

de fuga presbyteri, seu militis percussione, quicquam vel modicum prius audierat. Accepta ergò regulari more licentia, Gebennensis territorij partes adiit, ibiq; à notis & veracibus personis cuncta quæ à mortuo audierat, vera esse agnouit. Nā & quod de presbytero actum fuerat tam ab illo quàm ab alijs didicit, & paucos post dies, mortem militis & eorum quos mortuos ille nunciauerat audiuit. Quæ postquam parētibus defuncti innotuerunt, bono vsi consilio, quod in presbyterum ille deliquerat, ipsi pro eo dignè satisfaciētes presbyterum ille deliquerat, ipsi pro eo dignè satisfaciētes presbytero, expiauerunt. Et quia tam certis indicijs verax fuisse præfata visio probata est, à me vt non dubia sed vt certa, inter cætera miracula conscripta est.

De cuiusdam pueri vigilantis visione mirabili.

CAPVT XXVII.

ET de mortuorum quidem apertis manifestationibus licet multa superius dicta sint, vnum tamen adhuc addere volo, quod nuper compertum, tacendum non esse videtur. Nam anno, quo hæc scripsi, illud contigerat. Vigilia natalis Domini nocte scilicet,

licet, qua sanctificamini hodie cantatur,
 iacebat apud Carum locum puerulus
 quidam monachus ante sacras matuti-
 nas in fratrum dormitorio, & nescio quid
 meditans dormire non poterat. Et ecce
 post aliquantum processum noctis, aspe-
 xit & vidit venerabilis vitæ fratrem A-
 chardum nomine qui eiusdem mona-
 sterii Prior fuerat, & ante paucos annos
 vita excesserat, per gradus dormitorij a-
 scendentem, sibi appropinquare. Erat
 verò iam dictus puerulus fratris eius fi-
 lius. Venit ergò & in scamno ante lectum
 pueri constituto, resedit. Erat cum illo &
 venerandus ille Dominus Prior Guillel-
 mus & ipse similiter defunctus, quem
 mihi Romæ in somnis appauisse supra
 retuli. Neutrum tamen illorum, dum vi-
 uerent, puer viderat, sed ex his quæ ab eis
 audiuit absque vlla eos ac si vidisset dubi-
 tatione cognouit. Morati sunt & collo-
 cuti ad inuicem aliquamdiu, puero au-
 diente, quousq; Domino Guillelmo re-
 cedente, solus frater Achardus ante illum,
 vt dictum est, sedens remansit. Qui ad
 puerum conuersus, hortatus est eum vt
 surgeret, & ad mira quædam videnda, vsq;
 ad fratrum cimiterium cum eo procede-
 ret. Respondit ille, timore qui eum inuaserat,
 patrum

patrum

patruī sui familiari colloctione iam ex parte sedato, non posse fieri quod monebat sub custode se esse, timere ne si eum aliquis præter mortem egredientem videret, dira flagella subiret, nec ipse inter multiplices plāgas sibi adesse valeret. Ad hæc illo dicente, nihil sibi esse timendum, credendum esse patruo, optimè se ne quid mali ei inde contingeret prouisurum, saluum & incolumem ducturum ac reducturum, adductus est puer in sententiam, & surgens, ac se regulari more induens, præcedentem secutus est. Duxit autem eum per claustrū maius, in claustrum infirmorum, indeque vsque ad cimiterij ostium. Quo aperto, statim ulterius processerunt. Et ecce conspicit puer, totum cimiterij ambitum sedibus innumeris refertum, ac supra sedes illas viros monastico schemate indutos sedere. Dixerat autem illi patrum & sibi inter alias sedem seruari, in qua statim aliorū modo veniens resideret. Indicauerat etiam querelam in conuentu illo de se futuram, propter quam necesse esset se exurgere, & ad vocantis iudicium properare. Monuerat insuper, vt in illo examinis intervallo, eandem puer sedem occuparet, nihilque metuens sibi vsque ad reditum
confer-

conseruaret. Quod & sic factum. Ingres-
 sus namque frater Achardus cum puero.
 conuentum illum, mox in sede sibi para-
 ta resedit. Ortus est statim clamor, & à
 quodam circumsedente querela depo-
 sita, quod idem frater tardus illi suo
 conuentui occurrisset. Surrexit ille
 confestim, & ad satisfaciendum mo-
 re monastico in medium processit.
 Quo facto, puer vt monitus fue-
 rat, surgens constanter in sede eadem
 resedit. Obtinet autem medium cimate-
 rij locum, structura quædam lapidea, ha-
 bens in summitate sui quantitatum v-
 nius lampadis capacem, quæ ob reueren-
 tiam fidelium ibi quiescentium totis no-
 ctibus fulgore suo locum illum sacratū
 illustrat. Sunt & gradus per quos illuc
 ascenditur, supraque spatium duobus vel
 tribus ad standum vel sedendum homi-
 nibus sufficiens. Ibi sedem cuiusdam ma-
 gni & reuerendi iudicis supraque ipsum
 sedentem, puer dum conspiceret, vidit iā
 dictum fratrem Achardum ante ipsum
 velut pro satisfactione prostratū. Quid
 dixerit, quid ei responsum fuerit, intelli-
 gere licet multum nisus, non potuit. Cla-
 re autem idcirco cuncta videre poterat,
 quia quædam maxima claritas absque
 sub-

sub-

subsidio humanorum luminum, totum illud illius cimiterij spatium illustrabat. Modico temporis interuallo transacto, sepe nominatus frater ad locum propriū redijt, & puero sibi cedente, atque ad eius residente, sedem suam recepit. Parum intercesserat, & ecce puer conspicit totum conuentum illum de sedibus suis exurgere, & non ad illam, per quam ingressus fuerat portam, sed ad aliam quandam tendentem, ad exitum festinare. Antequam tamen egrederentur, conspexit multum ignem, proximè ante ipsam portam accensum. Per quem, vt referebant plurimi ex illo agmine transeuntes, alij diu in illo morabantur, alij citò transibant. Hęc tam diu vidit, quousque portam illam omnes excesserunt. Remansit autem post tantum spectaculum, solus puer cum patruo. Quem patruus, vt promiserat, per viam qua venerat reducens cum eo fratrum dormitorium ascendit, eumque vsque ad lectum propriū profecutus, statim disparuit. Hanc visionem quia auditam prius ab alijs, & postea ab ipso puero fallere nesciente, fide dignam iudicau; ad legentium utilitatē vel cautelā, sicut & præcedentia, ne mente exciderent, scribere volui.

De

De institutis Carthusiensium monachorum.

CAPVT XXVIII.

ET quia propositum meum in narrandis miraculis, de quo iam frequenter lectorem instruxi, tale est, vt absque aliquo temporis præiudicio, non attendens quid quando factum sit, sed quando mihi relatum sit, ad Dei gloriam & legentium ædificationem, quæ pro certo vera esse comperi describã, trado legentibus quæ ante paucos dies didici. Sed antequam ea scribere exordiar, quædam ad rem pertinentia illis præpono. Seruatur in Burgundiæ partibus inter omnes Europæ nostræ monastici ordinis professiones professio quædam, multis alijs eiusdem monastici propositi sanctior & cautior, instituta nostro tempore à quibusdam patribus, magnis, doctis & sanctis magistro Brunone Coloniensi; magistro Laudino Italico, ac quibusdam alijs verè magnis, vt dixi, & Deum timentibus viris. Qui quorundam antiquorum monachorum trepiditate, negligentia ac desidia præ-

docti,

docti, seculo abrenunciare volentes, cauti-
 tius sibi suisque in via Dei sectatoribus
 consuluerunt, & vigilantia oculo, ordinē
 contra omnes penē sathanæ insidias cir-
 cumspectum instituerunt. Nam vt contra
 superbiam, quæ iuxta scripturam, initiū
 est omnis peccati, & contra eius nefandā
 sobolem, inuidiam dico, ambitionem &
 vanam gloriam, ac si qua sunt alia, ordo
 ab eis institutus, quantum iuxta eorum
 scientiam homini erat possibile, armare-
 tur, vestes vilissimas, ac super omne reli-
 gionis propositum abiectissimas, ipsoq;
 visu horrendas assumpserunt. Quantita-
 te enim breues & angustæ, qualitate ita
 vt vix aspici possint hirsutæ & sordidæ,
 nullum gloriandi vitium se posse admit-
 tere indicant. Et noui quidem quod etiā
 in sordido habitu diabolus quod suum
 est quærit, & humilitatis vestibus quan-
 doque texturam superbiz interserit. Sed
 tamen iam dicti iusti & Deum quæren-
 tes viri, in quantum potuerunt, ne prin-
 cepti mundi per superbiam aut superbiz
 familiam in se vel suis sibi locum inue-
 nire possent, summo studio prouiderunt.
 Cupiditatem insuper quæ radix malorū
 omnium dicitur, vel avaritiam quæ ido-
 lorum seruitus vocatur ne mihi vene-
 nosa.

nosa virgulta quolibet tempore proce-
 dere posset: ita radicitus auulserunt, vt
 certos terminos iuxta locorum suorum
 fertilitatem aut sterilitatem, in circuitu
 cellarum suarum maiores minoresve
 præfigerent: extra quos etiam si totus eis
 offerretur mundus, nec saltem quantū
 pes humanus occupat, terræ spatium ac-
 ciperent. Ea etiam de causa, animalibus
 vel pecoribus suis, certum quem trans-
 gredi fas non esset, terminum institue-
 runt, bobus scilicet, asinis, ouibus, capris,
 vel hircis. Et vt non esset eis quandoque
 necessarium, vel plus terræ, quam dictū
 est, possessioni suæ addere, aut numerum
 iumentorum suorum vel pecorum au-
 gere, duodecim tantum monachos cum
 xiiij. Priore, ac decem & octo conuersis,
 paucisque mercenarijs, nullo prorsus su-
 peraddito in sui ordinis monasterijs esse
 perpetuò decreuerunt. Præter ista ad e-
 domandum iumentum corporis sui, &
 ad subigendam iuxta Apostolum legem
 membrorum suorum repugnantem legi
 mentis suæ, duris carnem cilicijis semper
 exasperant, continuatis penè acerbis ie-
 iunijs corpora affligunt, extenuant, &
 desiccant. Inde est, quod pane furfureo
 semper vtuntur, vino ad eò adaquato,
 vt meri-

vt meri-

yt meritò magis villum, quàm vinum
dicatur. Ab omni carniū esū, tam sani
quam ægri, in perpetuum abstinent. Pi-
sces nunquam emunt, sed fortè ex chari-
tate datos accipiunt. Die Dominico &
quinta feria tantum, caseum vel oua ad
vescendum admittūt. Tertia feria ac sab-
bato, aut lepumine aut olere cocto ytun-
tur. Omni secunda quarta & sexta feria,
pane solo & aqua contenti sunt. Semel
in die semper comedunt, exceptis octo
diebus natalis Domini, octo diebus
Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epipha-
nia Domini, repræsentatione eius, hoc
est Purificatione sanctæ Mariæ, annun-
ciatione Domini, quando Paschali tem-
pore prouenit: Ascensione Domini, As-
sumptione ac Natiuitate iam dictæ sa-
cræ Virginis matris eius, & exceptis fe-
stis duodecim Apostolorum, sancti Ioã-
nis Baptistæ, sancti Michaëlis, sancti Mar-
tini, & illo quod in Kalen. Nouemb. cele-
bratur, festo omniū sanctorū. Super hæc
omnia more antiquo Ægyptiorū mona-
chorum, singulares cellas perpetuò inha-
bitant. Vbi silentio, lectioni, orationi, at-
que operi manuum, maximè in scriben-
dis libris irrequieti insistunt. In eisdem
cellis debitum regularium horarum,
hoc

hoc est primam, tertiã, sextã, nonam, cõ-
pletorium, signo Ecclesiæ commo-
niti, Deo persoluunt. Ad vesp̄as & matuti-
nas, in Ecclesia cuncti conueniunt. Ibiq̄;
non perfunctoriè, vt quidam, sed inten-
sissimè oculis in terram demissis, cordi-
bus cõlo infixis, Deo preces, Deo gratiarũ
actiones persoluunt, totumq̄e suum tã
interiorem quam exteriorem hominẽ,
habitu, voce, vultu, rebus visibilia exce-
dentibus, sp̄etis cunctis alijs intentum,
immò affixum esse ostendunt. Ab hoc
more excipiunt illos festiuos dies qui su-
pra scripti sunt, in quibus bis comedunt,
& in quibus more monachorum non
per cellas sed simul habitãtium, non so-
lum omnes regulares horas in Ecclesia
decantant, sed & in refectorio tam post
sextam quam post vesp̄as, nullo sospite
excepto, communiter edunt. Quibus
tãtum diebus antiquorum eremitarum
æmulatione ne ab alijs sacris operibus li-
cet dignitate inferioribus impediãtur, sa-
lutare omnipotenti Deo pro salute sua ac
mundi, sacrificium offerũt, quod ex usu
iã veteri tracto nomine, quia Deo mitti-
tur, missã vocatur. His sacris diebus, qui
singulari priuilegio à Domino vel ei⁹ re-
surrectione Dominici dicuntur, ac sæpe
dictis

dictis ipsius vel sanctorum eius solenni-
 tatibus missas celebrant. Diebus quibus
 eis legumine vti licet, illud ipsi ad men-
 suram acceptum, sibi aptant & coquunt.
 Hoc verò tunc, quando non communi-
 ter in refectorio, sed quando eos in cellis
 suis solos comedere eremitica institutio
 præcipit. Vinum nullo tempore, ante
 mensam vel postea sumunt. Sed si quis
 tunc sitim passus fuerit, aqua ei non vi-
 no vti licet. His ne tam sanctam institu-
 tionem omninò muti præterijse vide-
 remur, breuiter præmissis, ad miracula
 per quosdam ex ipsis nostro tempore fa-
 cta, procedendum est. Hæc enim in toto
 isto opere principalis, vt sæpe iam dixi,
 fuit mihi causa scribendi, hoc est, miracu-
 la vbilibet vel quolibet tempore facta ad
 præsentium vel posterorum memoriam
 transmittendi.

*De quodam fratre Carthusiensi, qui mi-
 ra vigilans vidit.*

CAPVT XXIX.

MVLTA quidem in illo sacro or-
 dine miracula contigisse, à plu-
 ribus accepi. Sed quia ipsi hu-
 militatis virtute, quã semper serui Dei
 miranda opera sua quãto possunt nisu oc-
 cul-

cultant, vix aliquid ex his prodere alicui
 voluerunt, rara immò rarissima quibus
 omnimoda fides accommodanda esset,
 ad me miracula peruenerunt. Quæ tamē
 absque dubio certa comperi, tacere nec
 volo, nec proposui. Fuit ex eorum nu-
 mero, non quidem monachorum, sed
 conuersorum, conuersus quidem humi-
 lis genere, iuuenis ætate, sed moribus ge-
 nerosus, & vitæ sanctitate prouectus.
 His toto studio, obedientiæ, humilitati,
 mortificationi, omnem quam poterat
 operam adhibens, mundum sibi, seque
 mundo non solum crucifixerat, sed et-
 iam sepelierat. Amori diuino, & specia-
 liter memoriæ matris Domini, ita se to-
 tum deuouerat, vt à bonis viris, ipsum
 vitamque eius cognoscentibus, nihil sci-
 re iudicaretur, nisi Christum Iesum &
 hunc crucifixum, sacramque ipsius cru-
 cifixi matrem, ac perpetuam Virginem,
 humanæ salutis singularem post Domi-
 ni amatricem, Mariam. His studijs à con-
 uersionis suæ principio cœptis, magis ac
 magis insistens, & in hac nostra iuxta
 psalmum lachrymarum valle, de virtute
 in virtutem proficiendo, ascensiones in
 corde suo disponens, antiqui & commu-
 nis hostis inuidiam contra se velut nouā
 L ac specia-

ac specialem concitauit, nec iam occultè, sed palam, quantum perditus ille perditionis humanæ sit auidus, ex seipso monstrauit. Iacebat quadam nocte in cella, sibi vt talium mos est, ad laboris solamen & orationis secretum designata. Et ecce in multo iam processu noctis, ipsi adhuc viliganti & celestia meditati, dæmonū turba in specie porcorum agrestium apparuit. Furebant vbique per totam cellam, & discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis ac velut in necem eius exacutis, pauefactum ac trementem hominem circumstabant. Sudabat ille (vt mihi relatum est) præ timore, & quasi iam iamque à bestiis discerpendus, nil nisi mortem vltimam præstolabatur. Talia eo patiente adauctus est metus, & quendam enormis magnitudinis hominem, vt ex cordis sui iudicio sibi videbatur, dæmonum principem cellam illam in qua ista fiebant, conspicit intrantem. Quid primo ingressu suo conuersus ad porcos, quid (ait) segnes facitis? Cur iam hunc non rapuistis? Cur non discerpistis? Quod dicis, inquit porci, magno conatu facere nisi sumus, sed cuncta tentantes, nil facere potuimus. Ego (inquit ille) iam faciam, quod vos desides face-

facere non potuistis. Quo dicto vncum ferreum longis ac recuruis vngulis terribilem, minaci manu protendens, atque ad virum Dei rapiendum, immò ad discerpendum adaptans, eum nimio terrore penè mente excedere coëgit. Sed Deus cui bonus vir ille sæpè supplicando dicebat, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, tentationem tam duram non est passus vltra procedere, sed multa misericordia qua semper suis prouidet, eduxit eum à tentatione, & liberauit à malo. Mox enim vt nequam ille manum, vt dictum est, ad eum rapiendum & vncum, vt videbatur, ferreum ad eum discerpendum extendit, statim omnipotentis filij Dei mater, mater verè, vt dicimus, misericordiæ, in qua ille sicut, dictum est, totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter adfuit, ac virga leui manu prætenso: Quomodo (inquit) huc detestandi venire ausi fuistis? Non est, non est hic vester, nec iam contra eum in aliquo præualere poteritis. Dixit, ac dicto velocius, totum illud infandum collegium vt fumus euauit. Perstitit illa post dæmonum fugam, cum homine adhuc tremente, eum que his verbis consolata est. Placet (inquit) quod facis.

euique animi deuotionem Deo mihiq;
 gratam esse noueris. Fac ergo quod facis,
 & de his ad meliora perseveranter pro-
 ficere stude. Et ut tibi aliquid singulare in
 mandatis tradam, stude vilibus escis, cō-
 plectere abiectas vestes, operi manuum
 deuotus insiste. His animatum hominē
 Virgo relinquens, celos repetijt. Istud de
 hoc bono viro miraculum, aliud isto nō
 inferius sequitur. Rusticus quidam pau-
 per, sed paupertate deuotionem fidei
 eius non impediēte, sed bonis illis viris
 de quibus sermo præmissus est in ami-
 citia iunxerat, eisq; non minimum fa-
 miliaris erat. Diligebant enim illi in ipso,
 non solum quæ quantum ad animæ sa-
 lutem spectat nihil prodest rerum pau-
 periem, sed beatam spiritus paupertate-
 tem, de qua Dominus, beati pauperes
 spiritu, quoniam ipsorum est regnum
 coelorum. Ea de causa eum quanto erga
 Deum deuotioē sentiebant, tanto ut
 magis familiarem sibi associabant. Inde
 contigit ut duos eius filios & paruulos
 susciperent, & in religione sancta, patris
 post Deum maximè causa educarēt. Ho-
 rum vnus, non multo post tempore ela-
 pso defunctus, alterum superstitem dere-
 liquit, quem religiosè educare & insti-

tuē.

tuere volentes, supradicto bono viro cui
 mira quæ præscripti ostensa fuerant, eius
 curâ committunt. Nec segnis ille man-
 datorum exequutor, puerum commen-
 datum suscipit, enutrit, ac sacro reli-
 gionis lacte, quo ipse educatus in viri-
 les annos euaserat, cum imbuens, nil re-
 rû terrestrium sapere, nihil eorum quæ
 in terris sunt diligere, breui edocuit. Cælū
 mente conspiceret, cœlestibus inhiare, ad
 Christum cœli ac terræ Deum ac Do-
 minū, totis animi viribus anhelare, quæ
 sursum sunt quærere non quæ super ter-
 ram, vbi Christus est in dextera Dei se-
 dens, iuuenem sibi creditum bonus do-
 ctor edocuit. Edoctus ille ab eo, non in
 vanum laborasse doctorem suū, vt quidā
 indisciplinati faciūt, ostēdit, sed vt à quo-
 dā satis noto dictum est, recens testa se-
 mel cœlesti sapore imbuta, odorem inde
 contractum, non diu tantū, vt ille ait, sed
 semper quo ad vixit seruauit. Sed placuit
 Deo, ne puer tam benè educatus, tam sã-
 ctè edoct⁹, diu particeps mortaliū fieret,
 vel aliquem de ipsorum diuturno con-
 sortio nœuum contraheret. Raptus est
 igitur, ne malitia mutaret intellectum,
 aut ne fictio (quæ quibusdam etiam re-
 ligiosis quandoque familiaris esse solet)

deciperet animam ipsius. Præueniens ergo in moriendo discipulus magistrum, bonam quidem spem salutis suæ, sed cū eadem spe magnum illi ac penè intolerabilem de morte sua dolorem reliquit. Acceperat quippe illum à Priore suo, vt iam dictum est, ad educandum, sed eius bonos mores sanctamque intentionem intuens, admirans & amplectens, eū non solum vt commendatum, sed vt filium vnicè diligebat, atque idcirco eius tam ecelerem, immò quasi furtiuum de mundo recessum, penè assiduè dolendo dessebat. Eo tractus affectu orabat continuo pro ipso, psalmorum quicquid nouerat Deo quotidie profundebat, nec satiari orando, psallendo, mœrendo, pro ipsius anima poterat. Cumque hæc tam deuoti animi sui tam pia studia, nullo ferè tempore intermitteret, nec ab his quantum facultas dabatur cessaret, volēs Deus hominem suum aut à tam duro labore reuelare, aut cuius meriti vel ipse, vel puer illius esset ostendere dignum fecit eum visione coeesti, qua & ipse consolaretur, & quid de ipso vel puero sentiendum esset, legentibus siue audientibus prodertur. Pernoctabat aliquando sub diuo bonus vir, vt sepe facere cōsueuerat, ac spiri-
tura

tum coelo intentum ab orationis labore vel studio, vt de magno Martino legitur, non relaxabat. Cumq; defixis nō solum mentis sed & corporis oculis in coelum, Deū vt homini erat possibile super æthera quæ visui corporali obstabant contēplaretur, ecce subitō per mediū velut per mediū discissi aëris lux lōgè omni corporea luce elatior ei de supernis infulsit, eūque ac loca sibi circumposita splendore immēso perfudit. Et vt serui sui votis, ille qui voluntatem timentium se facit, satisfaceret, conspicit & dilectum puerū, immō in Deo filium suum, de coelis cū eadē luce descendere, atque vsq; ad se lætū & radiantem venire, & in insueta visione gaudio simul & timore turbatus, hærebat. Ad quē is qui apparuerat puer, quid (inquit) turbaris? an non agnoscis filiū tuum? Redi ad animum, & mecum vt solitus eras loquere. Sed vt ea quæ circa me aguntur tibi aperiam, noueris multū profuisse mihi, quod me tam tenerè Dei causā dilexisti, quod morti meæ tam benignè compassus es, quod pro me tam sollicitas & continuas Deo orationes fadisti. A modo per Dei gratiā noueris me ad illum statum peruenisse, vt sicut tu hæcten' mihi profuisti, sic ego tibi amo-

dō apud ipsum prodesse valeam. Dixit hoc & statim vnde venerat paulatim eo conspiciente regredi cœpit. Referebat autem illi huius visionis inspector, quod dum à se discederet, cœlum que conscenderet, non auersa facie, vel huc illucque conuersa, vt vale facientes solent, recessit, sed sicut ei colloquutus facie ad faciem fuerat, sic semper ad se conuerso vultu ad superna tēdens, tam diu perman sit, quousque vt de Martino iam dicto legitur, patente cœlo receptus, videri vltra non potuit. Quæ visio, in hoc fortè visioni illi præponderat, quod Seuerus Sulpitius illam sicut ipse perhibet, licet matutinis horis leuiter dormiens, tamen dormiens vidit, hanc autem iste non dormiens sed vigilans, sub diuo positus, atque orationi toto corde intentus, conspexit.

*De miraculo cereorum Romanorum in
Ecclesia matris Domini.*

CAPVT XXX.

ILLVD quoque nobile & iucundum miraculum, quod ante plures annos compertum, iam penè cum tempore mente elapsum fuerat, memoriæ sequentium mandare, vltra non differam. Habetur Romæ Patriarchalis Ecclesia in
hono.

honore perpetuæ Virginis matris Domini consecrata, quæ vulgari sermone, sancta Maria maior vocatur. Maior autem idcirco, quia post Lateranensem sancti saluatoris Ecclesiam, maior dignitate non solum Romanis, sed & totius orbis Ecclesijs est. Illuc Pontifex Apostolicus in præcipuis ac summè festiuis diebus, id est natali Domini, Pascha atque Assumptione iam dictæ gloriosæ virginis, cum celebri processione more Romano coronatus pergit, ibi stationem facit, ibi totius urbis clero ac populo assistente, solenne Deo sacrificiū offert, & sacros dies, quanto potest, colit honore. Ibi præter ipsum & coadiutores eius septem Episcopos, ac Cardinales bresbyteros, nulli missam celebrare fas est. Ibi quam inauditum miraculum non solum semel cōtigerit, sed etiam iam à multo tempore annuatim in festo supra nominato Assumptionis proueniat, dicendum est. Mos est Romanorum, festum illud assumptionis matris Domini inter vniuersas annis festiuitates præcipuo honore colere, speciali deuotione venerari. Vnde est, quod inter plura deuoti animi sui erga præcellam virginem signo, cereos maximos faciunt, & eos ante paratos, vigilia festiuitatis ad

nominatam Ecclesiam deferunt, atque
 vespertina hora vel circa, accendunt. Pō-
 dus tamen eorum æqua lance pensatū
 domi retinent, vt sequenti die solenni
 missa peracta, eos rursū pensantes quan-
 tum de quantitate eorum ignis absum-
 pserit, iudicāte statera cognoscere valeāt.
 Manent ergō Romanorū cerei, à vesper-
 tinis vt dixi horis, vsque ad sequentis
 diei sextam vel nonam horam in Eccle-
 sia matris Domini, ad honorem vtriusq;
 accensi, & festiuæ missæ solennijs consu-
 matis, singuli à proprijs Dominis ab Ec-
 clesia reportantur. Referens quisque ce-
 reum suum, mox vt domum peruenit,
 geminas lances preparat, imponit vni ce-
 reum, alteri pondus hesternum. Attendit
 diligens inspector, quātum de cerei prius
 appensa quantitate possit deesse, & ve-
 spertinas, nocturnas, diurnasque horas
 quibus continuè cereus arsit, numerans
 expectat quid sibi de immunitione pri-
 mi ponderis statera renunciet. Et ecce,
 mirabile dictu, nihil minus quantum ad
 pondus pertinet, post tam prolixam ce-
 rei sui exustionem, sollicitus ille appen-
 sor & spectator inuenit, sed quasi nihil
 consumptum sit, totum quod Deo &
 eius Virgini matri deuotus incenderat,

se ac-

se accepisse miratur. Hoc tam nobile & ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam matris Domini, non in quolibet ignoto vel humili loco, non in qualibet vel quatalibet ciuitate, sed in ipsa vrbe orbis capite, non semel tantum, vt dixi, sed assidue recursu annuo, diuina pietas & potentia operatur. Facit hoc vt & frequentia miraculi augeat admirationem, ædificet fidem, accendat charitatem, & locus tam celebris nulli patiatur esse occultū, quod cœlestis prouidētia, tam famosi loci occasione pluribus, ne dicā omnibus, fieri voluit manifestum. Magnum quidē fuit Prophetis temporibus quod ad viduam Deo mittente Heliam, Hydria farinae non defecit, & lechitus olei non est imminutus, iuxta verbū Domini quod locutus fuerat in manu Heliae. Magnum fuit quod Helias magnus Propheta Dei pastus est cibo Dei, coruis ministrantibus sibi iussu Dei panes & carnes mane, & panes & carnes vespere. Magna fuerunt illa tempore iræ, non sunt minora ista tempore gratiæ. Magna fuerunt illa tempore Mosaicæ legis, non minora sunt ista tempore Christianæ & Euangelicæ legis. Non defuerunt Prophetæ panes

L 6 & car-

& carnes ministratę à coruis mane & se-
ro, non defecit eidem paucillum farinae
& olei per tres tantum annos & dimi-
diū, non defecit nec deficit in magno
festo matris Domini post tam diuinam
Dei noctisque, vt dictum est, consum-
ptionem, oblata Deo cereorum quanti-
tas, nō solum per tres annos & dimidiū,
sed iam per centum & eo amplius an-
nos, vsque ad hanc nostram ætatem, &
quantum deinceps Deo placuerit.

*In Syluiniaco per sanctum Maiolum puer
mortuus restituitur vitali ali-
mento.*

CAPVT XXXI.

ADDATVR & illud quod ferè cun-
ctis miraculis præferri solet cu-
iusdam Syluiniacensis pueri à
morte per sanctum Maiolum Christi
virtute in iam dicto loco facta resusci-
tatio. Is etenim sanctus, sicut penè cun-
ctis Galliarum populis notum est, vt
magnus vita, sic miraculis & dum mor-
talis viueret, & post mortem maximè
insignis extitit. Hac miraculorum gra-
tia, in tantum iam per centum lx. &
duos annos, hoc est à tempore mortis
sue claruit, vt post sanctam Dei geni-
tricem, nullū sanctorum in tota Europa
nostra

nostra in huiusmodi operibus parem habeat. Testantur hoc innumeri diuersis morborum generibus pressi, qui ad sepulchrum eius diuinam clementiam ipsius meritis sibi misereri precantes, exauditi sunt. Inter quos & mulier paruum habens filium, infra hos septem annos, similem, immò maiorem per ipsum Dei misericordiam experta est. Nam cum iam puer ille plusquam triennis esset, contigit eum morbo correptum exingui. Indoluit acriter mulier affectu tacta materno, ac doloris nimij stimulis agitata, totam vim animi non tam ad fletum muliebriter, quam ad fidem constanter conuertit. Excitata namque mirandis operibus, quæ non solum frequenter ad sepulchrum sanctissimi confessoris facta audierat, sed etiam plerunque viderat, in spem animū erexit, & sibi ab eo posse reddi filiū, non irrita fide præsumpsit. Vnde statim surgens, non ad præparandum funeri sepulturam festinat, sed mortuo puero inter brachia sumpto ad Ecclesiam properat. Quo cum citatis gressibus velut moræ impatiens pergeret, interrogata à multis quid ferret, & quid sibi vellet, hoc vnum omnibus responsum dabat: Filius (inquit) meus est, quem mortuum sancto

Maiolo defero, vt illū mihi restituat: Mirabantur audientes de tam insolita re tā constans mulieris responsum, & euentū rei iam solliciti præstolabātur. Venit tandem mulier ad sancti sepulchrum cum paruulo, & eū ante altare fide plena deposuit. Mirastantium expectatio. Nouerāt quidem, vt dictum est, & quandoque viderant, multos ibi sancti virtute curatos, sed à morte rediuiuū nec ipsi viderāt, nec à patribus acceperant. Attenti ergo tā monachi quam laici ad tantū spectaculū, nutum omnipotentis, eiusq; beneplacitū sustinebant. Mansit puer exanimis ab hora diei prima, dies enim tūc æstiuū erāt, vsque ad horam nonam. Tunc tandē oculos aperuit, ac matrem quæ proximo loco ei assederat, eumq; materna custodia asseruabat, tenui vt puer voce vocauit. Surrexit mater attonita, & non sola ad eū accessit. Hunc viuētē & loquentem quē mortuum deposuerat, cū multis qui aderant cernens, spe sua, pietate sancti se frustratā non esse agnouit. Fit statim latus clamor in populo, & voces altissimæ ad Dei laudē & sancti Maioli præconium resonant. Accurrunt fratres meridianis horis regulari more in lectis quiescētes, totaque Syluiniacus nulla penè licet villa sit,

Gallia-

Galliarum vrbe plebium numerositate inferior, audito tam felici nuncio, in momento aduolat. Repletur tam clamorosis quam deuotis lætantium vocibus Ecclesia, & cernentes viuentem, quem mortuum reliquerant, vix se ipsos præ gaudio capiebāt. Obtulit dehinc deuota mulier puerum sancto, & quia sicut ab utroque parente primam, vt sic loquar, vitam acceperat, sic à sancto Maiolo tam insigni miraculo secundam resumpserat, auctoritate materna S. Maioli filium decreuit perpetuò nuncupari. Ne verò legenti vel audienti superesse aliqua de tanto miraculo dubietas possit, nouerint me antequam hæc scriberem, bis Siluiniacum uenisse, & tam à matre quam à pluribus & fide dignis testibus, dum id sollicitè inquirerem, ea accepisse.

De confessione cuiusdam Fratris Cluniacensis tandem facta Domino Abbati veraci & deuoto.

CAPVT XXXII.

IAM aliam de utilitate confessionis uisionem, præter illas quas longè supra narraui, quia multo post tempore accidit, non præteribo. Eo enim anno quo de Anglia secundo redij, illud

illud me audisse contigit. Quod nemē-
 ti exideret, eodem anno literis tradidi.
 Regressus à iam dictæ Angliæ partibus
 dum Cluniacum tendens per Franciam
 iter agerem, ad quoddam monasterium
 Cluniacensis ordinis quod Radolium
 vocatur, & ad charitatem pertinet, hospi-
 tandi causa diuerti. Præsidebat tunc eidē
 loco more Prioris frater quidam Bernar-
 dus nomine, Pictauus natione, iuuenis
 ætate, elegans moribus, opere strenuus,
 domui sibi commissæ prudenter prouidens.
 Detinebatur tunc valida febris tam-
 que graui, vt lecto assiduè decumbere co-
 geretur. Veni ergò, & tali morbo eum
 grauatum inueni. Accessi statim facta re-
 gulari oratione ad ipsum, & qualiter se
 haberet sollicitè perquisiui. Respondit il-
 le, quod clarum erat, nec aliquem cernen-
 tem latere poterat, multum se incom-
 modo iam dicto grauari. Monui pro officio,
 vt quamdiu compos sui erat, conscien-
 tiam scrutaretur, peccata confiteretur,
 nec aliquid ad salutem animæ pertinens
 intermitteret, sed confessione, deuotio-
 ne, oratione, ad iter peregrinum securè
 explendum, se toto quo posset conamine
 pararet. Acquieuit monitis libens, & se-
 motis alijs me tantum coram residente,
 confi-

confiteri deuotè aggressus est. Expleta, prout tunc datum fuit, confessione, feci quod meum erat, & agrum confitentem Christiano more absolui. Iniuncta verò ei congrua, iuxta quod ab ipso audieram & mihi visum est, pœnitentia, die sequenti ad ipsam rediturus recessi. Facto mane, vt proposueram redij, & remotis astantibus, secreto eum de similibus vt prius fecerā, admonebā. At ille vt potuit corpore, totus autem mente ad me conuersus, peccauit (ait) Domine, & valde peccauit, quod de hesternā confessione, quam purè facere debuissē, de industria quædam subtraxi. Ea de causā ad iudicium hac nocte vocatus, mira & tremenda videre coactus sum. Adstabat quodam in loco multitudo hominum tetri coloris, horrendæ formæ, quorum deformitatem vix visus humanus tolerare poterat. Allatæ sunt ab eis lances geminæ, in quarum vna animam meam, in alia opera mea cernebā. Accusabant me vndique, & quandoque vera, quandoque falsa plurima more suo proferebant. Æstuabam constitutus in arcto, nec tot, vt videbatur, millibus hominum innumera obijcientibus, præ timore respondere poteram. Cumque diu huiusmodi litibus & accusationibus me ad om-

ad om-

ad omnia suspensum ac trementem vexassent, occurrit tandem formosus, vt videbatur, vir, & in medio astans, turbis insanientibus, immo vt animo conceperam dæmonibus, quid (inquit) quaeritis? Non est iste planè, non est iste de vestris. Eripuit, eripuit eum certè de manibus vestris, ea quam hesternò die Abbati suo fecit confessio. Non sic est, inquit, non sic est, vt dicis. Nouimus enim, & benè conscij sumus, quid dixerit, & quid retinuerit. Tacuit pro certo quædam, quorum sibi ipse conscius est, non obliuione inductus, sed deliberatione seductus. Cū igitur bonus ille defensor meus prolatam licet à mendacibus veritatem negare non posset, nec tamen me deserere vellet, consumpsi in immenso labore ac formidine totam hanc noctem. Qua transacta aurora, vt credo, dante diei principium, expergefactus ad me redij. Nunc quia plenè intelligo multam mihi à Deo hac visione impensam misericordiam, vt fateri me velit, quod tacere decreueram, detegam Deo cuncta ex integro, tibi que pater, nec ultra meam animam parata salute fraudabo. His dictis ad confitendum rursus conuersus, quicquid exhauriendum reliquerat totum per Dei gratiam

gratiam exhaust. Expleta veraci & deuota confessione, absolui pro officio fratrem, & oleo sancto inunctum, Christi corpore ad æternam vitam obtinendam refectum, Deo & fratrum precibus intentè commendauit, sicque valesciens ei, cum socijs recessi. Dehinc vt Cluniacum veni, paucis interiectis diebus, eius discessum audiens, & sibi debita quæ ad animam pertinent beneficia à fratribus sollicitè reddi rogavi, & plura supra debitum addidi.

F I N I S.

SELEC-

tudinem ad ouile Christi perduxit, etiam ad ordinem plures, eisdemque grauissimos viros, & multæ literaturæ, ac in omnibus facultatibus doctores & promotos Archidiaconos, Abbates, Priores & alios pertraxit, & inter alios etiam induxit ad hoc Magistrum Clarum, qui erat pœnitentiarius summi Pontificis, & in iure canonico Regens, famæ percelebris, & magistrum Monetam, qui erat publicus Philosophiæ professor, & valdè famosus per totam Italiam, & plerisque alios viros grauissimos. Qui omnes rebus quas possidebant, abdicatis, pro Christo salutis æternæ conquirendæ fuerunt cooperatores strenui.

DE VIRTUTE VERBI
DIVINI.

Quomodo per verbum Dei Moneta ad religionem tractus sit.

NEC silentio prætermittere debeo modum quo Moneta (alijs est Simoneta) peruenit ad ordinem: vt sic etiam comprobetur quod per Prophetam ait Dominus de verbo suo, quod est sicut malleus conterens corda, & quod non est potentia nec ratio contra
Domi.

Dominum. Is ergò Moneta audita con-
 uersione multorum grauium & illustriū
 virorum per prædicationem B. Reginal-
 di, timere cœpit quodammodo, ne & ip-
 se diuini verbi caperetur hamo, & idcō
 semper alio diuertere consueuerat, cum
 ille concionabatur, ne eius conciones au-
 daret: & ad instar aspidis surdæ & obtu-
 rantis suas aures, ne audiat vocem incan-
 tantium, & spiritus sancti consilijs auditū
 subtrahere moris habebat. Quod dum
 perpendunt aliqui eius amici Bononiæ
 instant, & importunè etiam illum solli-
 citant, vt ad concionē Reginaldi pergat,
 & tandē post multas & importunas pre-
 ces vix obtinent ab eo, vt illis polliceatur
 se id facturum in festo quod proximè in-
 stabat B. Stephani protomartyris. Quo
 festo vt illo fidem seruet datam ipsis cu-
 rantibus, voluit ille, vt prius ad vnā a-
 liam ecclesiam diuerterent, sacrū audien-
 di gratia, inde ituri postea ad concionem,
 & post primum, secundū etiam & tertium
 sacrum audiuit, id ex industria faciens, vt
 interea tempus concionis vel pro parte
 laberetur. Itur ergò tunc ad concionem,
 & cum Ecclesiam iam non daretur ingre-
 di præ nimio populi concursu, pro eccle-
 siæ foribus mansit præfatus moneta cum
 socijs

focijs. Mira res, vix auditum concioni accommodarat, & mox fuit piscatoris reti captus. Nam concionabatur tunc temporis ille: Ecce video cælos apertos, &c. & repetens, dicebat. Ecce in præfenti aperti sunt cœli ad introeundum: quilibet, si vult, potest per ianuas apertas intrare, videant & timeant miseri negligentes, ne eis qui Deo claudunt cor suum, & os, & manus, regnum Dei claudatur, & introire non possint. Quid tam diu tardatis charissimi, ecce aperti sunt cœli, &c. Captus itaque hac sagena euangelica, in compunctionis lacrymas resoluitur, & mox seculo abrenuntiat, & religionis nostræ togam suscipit. Hæc in lib. qui dicitur Vitæ fratrum ord. prædicat. & D. Antonin. 3. p. hist. tit. 23. cap. 5.

De Innocentia puerorum religiosorum.

CIRCA annum D. 1240. claruit vir vitæ inculpatae & probatissime F. Bernardus, qui in Portugallia in conuentu Sancterennense agens sacrista, puerulos aliquot nostræ religionis habitum gestâtes post missarû peracta mysteria informabat literis & moribus. Qui ex domibus maternis iētacula ferentes, postquam

quam

*Nota
miracu-
lum.*

quam missis aliquod inferuiebant, con-
sueuerant ad vnam capellam in eadem
Ecclesia diuertere, & ientaculum ibi su-
mere. Porro in ea erat in altari posita bea-
tæ Virginis imago, & in sinu eius paru-
lus Iesus qui semper paruulorum humi-
litate delectatur & simplicitate, qui è sinu
matris descendens, cum illis ientaculum
faciebat. Postquam id aliquot vicibus fe-
cit, paruuli queruli rem ad magistrum
deferunt, narrantes quod ille paruulus ad
eorum ientaculum semper descendebat,
& nihil in symbolum apportabat. Prudens
ac religiosus pater, se ista ab ora innocen-
tium percepta, eos instruxit, vt si ille ite-
rum more solito ad eos descenderet, eum
sic alloquerentur; En Domine, tu sem-
per nobiscum comedis, & nihil sym-
boli ferre consueuisti ad ientaculum: in-
uita ergo nos & magistrum nostrum se-
mel in domo patris tui. Et sic illi instructi
faciunt, cum paruulus Iesus more solito
ad eos descendit. Qui eorum petitioni
annuens, diem certum designauit, quo
id præstaret, & erat dies Ascensionis Do-
mini iam iam instans. Id mox illi referunt
magistro, qui se præparans, vt cælesti in-
teresset conuiuio, illa diè maturè se ad ce-
lebrandum disposuit, paruulis eisdem illi
ministran-

ministrantibus, & sacrificio peracto, omnes tres ibi simul viuere desierunt, & omnes tres simul eodem fuere reconditi tumulo, & aliquanto tempore postmodum elapso eorum corpora fuerunt ex humili loco ad altiore[m] translata, & reposita in vno sepulchro, in capella quæ Regum dici consuevit, & miraculosa hæc historia fuit super idem sepulchrum depicta, & per traditionem quandam ab antiquis acceptam fama ad hæc nostra tempora peruenit. Tandem anno Domini 1277. cum in eodem loco quo tale erat sepulchrum, portam quãdam oporteret aperiri, inuentæ sunt horum sacrorum corporum reliquie, & quidẽ paruulorum vno supertectæ linteamine, prædicti verò patris eorum magistri alio. Quod verò easdem omnes illorum triũ reliquias simul cooperiebat linteamen, adeo candidum, integrum & incorruptũ fuit repertum, quasi à paucis diebus ante fuisset ibi repositum. Huius rei fama mox per ciuitatẽ spargitur, accurrit mox ad re[m] stupendã vniuersus popul⁹, & quæ erga hos beatos habebatur deuotio & memoria, augetur: & instrumẽto publico ad posteriorũ memoriã hæc omnia per testes prius sacramẽto astrictos examinata, scripto traduntur. M De

*De malis quando in peccato perseverant,
relinquendis, per pulcrum & stu-
pendum miraculum.*

A NNO 1275. Barchinonæ extin-
ctum est lumen aliud, & religio-
nis præstantia & doctrinæ ma-
gnitudine satis fulgidum, scilicet frater
Raimundus de Pena forti, natione Ca-
thalanus, patria Barchinonensis, qui fue-
rat tertius generalis Magister ordinis Præ-
dicatorum. Etiam viuis miraculorū gra-
tia fuit clarus, obij. quæ ipso festo Epipha-
niæ Domini: vnde altera eiusdem Epi-
phanie fit solenne officium illius Barchi-
nonæ, & per illa omnia tria regna, scili-
cet Cataloniam, Valētiā, & Aragoniā,
iam à tempore Pauli III. summi Pont.
hic Raimundus vir fuit sanctissimus, &
etiam viuens miraculis coruscus, & qua-
tuor adhuc viuens à morte ad vitam re-
uocasse, & 36 post obitum, litterarū mo-
numentis traditum lego. Cumque foret
à confessionibus regi Aragoniæ Iacobo,
eum sæpe admonuit, vt concubinam
quam tenebat, relinqueret, quod ille se iā
facturum pollicebatur, semper procrastina-
ndo. Demum cum rex ex Barchino-
na ad Maioricensem insulam transfreta-
re de-

re decerneret, & sanctum secum in comitatu habere cuperet, & ille id facere renueret, nisi prius concubinam abs se abdicaret, spondit rex certissimò id facturum, cum ad insulam illam perueniret: sed promissis minimè stetit. Postquam ergò in prædictam insulam peruenerat, & sanctus regis vitam in malis inueteratam considerauit, & quòd sanctis suis monitis nihil proficeret, regem decreuit relinquere, & se Barchinonam conferre, ne regis peccato inuolueretur. Id rescians rex, sub pœna capitis edicto publico proclamari fecit, ne quispiam illum ex illa insula in terram firmam transueheret.

Tunc vir sanctus diuino ad id spiritu ductus, & auxilio fretus cappam suam super mare extendit, & signo Crucis præmisso illud ingreditur, & baculo quem gerebat scapulare suum in altum eleuat, ut loco veli deseruiret: & sic ex Maioricensi insula soluit, & mox spiritus Domini flauit oportunus, & illa 160. miliaria quibus Barchinona à Maiorica distat, absoluisse proditur sex, aut circiter horarum spatio, & Barchinonam appulit incolumis. Nec tamen prætereundum, quòd cum insula cœpit sanctus soluere, mox ad regem accurrerunt

*Perpul-
crum &
stupendū
miracu-
lum.*

plurimi, illius recessum illi referentes. Omnia clamoribus implentur, triremes, & varij generis naues à rege mittuntur post eum, vt illum reducant. Sed & regis sollicitudo & conatus, nauarum quoque omnium naualis peritia, & sedulitas incassum fuere. Cùm verò vir Dei ad littus Brachinonense applicuisset, tanta illius pallij & ceterarum vestium suarum erat siccitas, vt eas aqua minimè videretur attingisse, & populus qui confluxerat innumerus, tanta rei nouitate stupefactus, eius vestigia exoculari satagebat. Cappæ huius tactu, cùm ad infirmos defertur Brachinonæ (sit autem id frequentissimè) & etiam quadam subrufa terra quæ ex eius sepulchro prodit, in potu vel in pulmento infirmis porrecta à varijs indies infirmitatibus sanantur. Hunc Raimundum ordinem religiosorum Dominæ nostræ, qui vulgò dicuntur Da meicee, instituisse scribit Enchiridij temporis auctor: Sed melius dixisset, creditur quàm ad formam reduxit eos, & illis normam viuendi & leges aliquot præscripsit. Attamen, inquit ille, quòd quia Raimundus is illis & horas legendi modum præscripsit, & ritus alios ac leges eiusdem ord. D. Dominici, idèò talis ordinis institutio non

ita

ita passim illi, sed D. Iacobo Aragoniæ regi tribuitur.

De damnatione quorundam propter ambitionem.

REM satis notatu dignam hic lubet referre, quia quo loco convenientius illius fieri queat memoria non novi. Accidit Neapoli in conventu nostro sancti Dominici (sunt enim ibi præter hunc, sex vel septem conventus alij etiam nostri ord.) ut post completorium refectionis locum ingrederetur cui erat illius cura commissâ, qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaq; refertum, & illi cappas habebât indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & illam expectarent, sedebant. Accurrit ille sine mora vlla ad Priorem, & istud illi aperit. Prior fratrem delirum putat, vel somnia narrantem, attamen dum urgetur vadit, videt, & credit, & ille quoque turbatur, & rem mox cõfert cû monasterij grauioribus patribus & prudentioribus, de quorû cõsilio sacras vestes assumit, & sacrum Christi corpus deferendo, toto cõuentu comitate se illuc cõfert, & ad illum sermone directo qui honorationi loco sedebat eos adiurat, ut aperiant

*Mira res
qua Neapoli accidit.*

L 3 quid-

quinam sint, & ad quid venerint; & quid
 velint: & vt ad hæc respō. teant, illis præ-
 cipit in nomine illius Domini quem ge-
 stabat in manibus . Vt autem quando
 Prior coram illis comparuit cum venera-
 bili sacramento, omnes affurrexerunt
 quidem, & capita inclinarunt, Caputia
 tamen taliter demittentes, vt cum mi-
 nimè viderent, & hoc factō iterum sede-
 runt: ita iussi à priore vt responderent ad
 proposita, inclinarunt. Tandem qui in-
 ter eos videbatur præcipuus, respondens
 dixit, quòd ipsi omnes fuerant eiusdem
 ordinis religiosi, & pro maiori parte Ma-
 gistri, Priores, Supprieores, Baccalaurei,
 Lectores, & alijs officijs donati, & q̄ o-
 mnes damnationis sententiam accepe-
 rant, quoniam ambitio multa, superbia,
 inuidia, & alia huius generis vitia eos fe-
 cerant damnatione dignos. Sed quòd di-
 uina permittente clementia iussi fuerāt
 illuc venire, vt eos & vniuersos ordinis
 cultores cōmonefacerent, vt suæ voca-
 tionis facerent satis, nam illi quia minimè
 id præstiterant, omnes damnati erant, &
 flammis cremabantur æternis: in cuius
 signum cuncti in eos aspicerent. Et hoc
 dicto omnes illi cappas aperuerūt, & sin-
 guli eorum flammis circumciacti & in-
 censi

censi vñi fuere: & tunc idem præcipuus
 manu in mensa signum dedit, & sic illa
 visio euanuit, & totus conuentus mansit
 timore consternatus. Istius rei adhuc per-
 seuerat memoria in illo conuentu no-
 stro quasi per traditionem recepta ab an-
 tiquis. Nec dubium quin maximus eo
 tempora ibi & alibi fuerit ex visione illa
 fructus subsequutus, & multa regularis
 vitæ instauratio. Nec talis visio arbitran-
 da est propter conuentum illum tãtum-
 modò ibi accidisse, sed propter vniuersi
 ordinis alumnos. Sicuti & quæ Bononię
 audita est vox in sacello D. Dominici pa-
 tris nostri, concinentibus fratribus, &c.
 Vox illa insonuit inquiring, Nec ego pa-
 ter, nec vos filij: propter vniuersos nostri
 ord. fratres accidisse credenda est. Quæ ad-
 modum. n. in politico regimine aliquot
 locis solennioribus fieri solēt earū rerum
 proclamationes quæ populo intimandæ
 veniunt, sic & in istis, &c. singularis et-
 iam quidam amor diuinus erga illos o-
 stenditur & protectio, apud quos cōtin-
 gunt similia. Et sicut D. Dominici patris
 nostri curæ, quam Bononiensis nostri
 cōuentus habet, ascribi debet, quod vox
 illa ibi insonuerit; Nec ego pater, nec vos
 filij: sic quoque nostri angelici doctoris

D. Thomæ Aquinatis singulari protectioni quam illius conuentus Regni Neapolitani, quòd in illo talis visio contigerit, ad nostrorum omnium instructione & emendationem.

*Miracula tria pro confirmatione fidei
Eucharistia.*

*Th. à
Kempis.*

ACCIDIT vt vir quidam fidelis occulta impugnatione diaboli tentaretur in fide, qui de sacramento altaris cœpit quodammodo dubitare de veritate corporis Christi. Is ergo cum staret ad audiendam missam huius deuoti sacerdotis sæpè ingemuit, dolens de praua immixtione spiritus maligni, orauitque dominum, vt sui in hac vacillatione dignaretur misereri. Sed misericors Deus qui animarum saluti varijs ac miris modis occurrere solet, prefatum virum noua & insolita visione instruxit, atque in fide suauiter confortauit. Vidit namque inter manus sacerdotis sibi apparere non speciem panis, sed formam speciosi pueri præ filijs hominum: & nimirum stupens ac tremens gratias egit, & Deum benedixit. Sacerdos verò de his nihil sciens, officium missæ solito more cum benedictione compleuit. Nō enim propter
cum

cum qui fide & gratia plenus erat, hæc o-
stensa sunt, sed propter infirmum in fide
roborandum.

Et quia sermo de venerabili sacra-
mento incidit, adhuc referam confirmile
factum de quodam sacerdote in parti-
bus Frisiæ, sed minus laudabilis vitæ. Si-
quidem bonæ memoriæ fratre no-
stro Alardo narrante cognoui, quod e-
rat cum eo quidam presbyter parvæ sci-
entiæ, & famæ non claræ. Iste cum ecclesiã
intraret vt diuina celebraret, honesta
quædam matrona quæ eius imperitiã
cognouit, cepit intra se de eo suspectè
cogitare ac murmurando dicere: Quid
tu imperite vis facere, & quomodo tu
indignè poteris tã magnum sacramentũ
cõficere? Hæc ea cogitante, presbyter ce-
pit celebrare, & diuina mysteria tractare
& cõsecrare. Factum est autem dũ vene-
rabile sacramentum ritu ecclesiastico cõ-
secraturum eleuaretur, & omnis populus
hoc flexis genibus fideliter adoraret, ma-
trona supradicta vidit in eleuatione aper-
tis oculis figurã hominis Christi, nimirũ
stupida & perplexa. Finita itaque missa
hanc visionem alteri sacerdoti secretè ex-
posuit, & quid malì de celebrante antea
cogitauerit, humiliter confessã est. Qui

M s

dile-

264 HISTORIA MIRAC.

diligenter gestæ rei ordinem & visionē
examinās, matronæ respōdit: Hoc Deus
pro tua salute fieri permisit, ne de cete-
ro malè de sacerdotibus cogites, nec de
vera consecratione dubites, licet malæ fa-
mæ sint, & indignæ vitæ. Illa hæc audiēs
firmam fidem tenuit, & Deo iudicium
de sacerdotibus eius commisit.

SED non te pigeat aliud iterum mi-
raculum de hoc summæ venerationis
sacramento audire. Eo namque tempore
quo monasterium montis sanctæ Agne-
tis illic moraturus intraui, quidam deu-
tus clericus mecum diu in eodem loco
habitans pro quadam causa ad vicinum
monasterium perrexit. Cumque in itine-
re esset, iunxit se illi quidam secularis, cū
eo socialiter vadens, ac familiariter collo-
quens. Factum est autem dum pariter
ambularent, & de Deo conferrent, ait ille
secularis clerico secum comitanti: Dicam
tibi amice dilecte quid mihi in vita mea
breuiter accidit. Lōgo fui tempore quod
intrans ecclesiam nunquam potui sacra-
mentum altaris in manibus sacerdotis
videre. Existimans autem quia nimis re-
motè tunc starem, & præ caligine oculo-
rum non possem bene videre, accessi pro-
pius quantum ausus fui & licuit, sed ni-
hil

hil penitus profuit mihi, nihilque inter manus sacerdotis conspexi. At illud etiā ultra annum mihi euenit, & qua de causa, non satis perpendi. Tandem in me reuersus & multum perplexus ad sacerdotem me contuli, & cuncta ei in confessione denudaui. Ille benignè me audiēs, & cautè secreta perquirens, inuenit me stare in odio cuiusdam proximi mei, cui pro nulla re volui offensam qua me offenderat, dimittere. Animaduertens bonus & discretus confessor culpam malitiæ meæ, increpando & admonendo perdocuit me, asserens periculosum valde fore in tali duritia stare: nec posse aliquando veniam promereri, nisi ex corde dimitterem offensas omnes, atque idcirco mihi istud accidere, quia nō essem dignus diuinum sacramentum oculis malignis intueri. Auditis his sacris monitis acquieui consilio sacerdotis, & toto corde compunctus remisi ex integro iniurias, nolens meipsū de cetero vindicare, quatenus possē Deo recōciliari, & gratiā perditā recuperare. Tūc demū sacerdos me absoluit, & imposta penitentia abire permisit. His gestis statim ad ecclesiā intraui, & missam audiui Deo, mihi propitio facto sacrū corpus Christi in mani-

bus sacerdotis oculis meis clarissimè vidi, & gratias agens, Deum in mirabilibus operibus suis benedixi.

*Miraculum de cruce S. Thoma. apud
Brachmanos.*

*Baron.
Annal.
tomo 1.*

AB ipsis Apostolorum temporibus, cum quælibet erigeretur Ecclesia, eo in loco primum omnium in memoriam Christi Redemptoris nostri, qui pro saluâdo humano genere crucem subiit, quasi nobile trophæum victoriæ, crux in titulum poni consuevit. Vnde est memorabile & planè admirabile illud antiquitatis monumentum, quod de sculpta cruce à S. Thoma Apostolo in Ecclesia vbi preces ad Deum fundere cõsueuerat, apud quam etiam cæsus, martyriũ cõsummauit; Hieronymus Osorius Siluësis Episcopus, qui res Indicas fidelissimè est profecutus, vt rem egregiè testatã, & si quã aliã fide sincerissima ob-signatã memorię prodit. Ad finẽ. n. tertij libri historiæ à se cõscriptæ hæc ait: In ciuitate quæ diximus appellari Malipurẽ, & nũc postquã à Lusitanis frequẽtari cepit S. Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle facellũ ædificatũ: eo quod affirmarent incolæ, in eo loco Thomã fuisse à religionis hosti-

hostibus interfectum. Erat autem hoc
solemniter institutum, ut in eo sacello,
octo diebus ante diem natalem Christi,
res divina fieret, & omnes Christiani eo
conuenirent. Fuerat quoque ante qua-
tuordecim annos in illo colle inuēta crux
in lapide incisa, in cuius fastigio colum-
bæ imago insidebat: basis verò erat in
specie quadam herbarum, quæ diffundi-
latissimè videbantur, collocata; & tam fa-
stigium quam basis & brachia in liliorū
formam definebant. Arcus eam ex eodē
lapide factus vndique muniebat. In arcu
erant incisæ literæ quas nemo legere
poterat. Totū hoc opus integrum, quod
erat satis magnum, fuit super altare eius-
dem sacelli multorum operis statutum.
In cruce eminebant notæ sanguinis insi-
gnes. Accidit autem die quo Christiani
conueniebant, ut in eo fāno salutationē
ab Angelo sanctissimæ Virgini,
octo dies antequam Christi natalis adue-
niret, celebrarent: cum sacerdos, qui rem
divinam faciebat, Euangelium inchoa-
ret, ut crux in nigrum colorem vertere-
tur, & liquor ex illo incredibili copia di-
manaret, deinde color ceruleus pro nigro
subiret. In locis autem, vbi notæ sangui-
nis extabant, rosei coloris splendor eluxit.

Sequentibus deinde annis eodē die idem
 sēper eueniebat. Nec enim alio die (quod
 magnam admirationem commouebat)
 id in illa cruce cernebatur. Fuit tamen ali-
 quo tempore eius rei, quæ admirabilis o-
 mnibus videbatur, intermissio. Anno au-
 tem M. D. L. X. I. cum Christiani in eū-
 dem locum cum eadem pompa & cele-
 britate conuenirent, eo die quo Crux, dū
 sacrificium fieret, stillare solebat, & sacer-
 dos Euangelium inchoaret (idem etiam
 admirandum videbatur, quod nunquam
 prius, quàm Euangelium legi cōpisset,
 ea crucis mutatio fieret) crux repente ni-
 gris maculis, splendidis tamen, inficere-
 tur, donec tandē alijs atq; alijs subeunti-
 bus, tota nigresceret: ita verò splendebat,
 atque si fuisset oleo delibuta. Dum instat-
 toris guttæ fluere cōperunt, quæ paula-
 tim grandiores effectæ, totam crucem
 humore largissimo compleuerunt. Per-
 egit Sacerdos cum multis lachrymis &
 crebro singultu sacrificium: deinde ascen-
 dit in altare, & linteis, quibus in rebus sa-
 cris de more procurandis uti solebat, cru-
 cem extersit. Lintea maculis sanguineis
 tincta repente sunt. Civitatis Præfectus,
 & reliqua multitudo, quæ conuenerat,
 manus in coelum tendere, Christi nomē

implorare, flagitiorum veniam postulare, & ad studium religionis ardentius excitari. Crux autem postquã multo liquore fluxit, clarius splendere cœpit, & color sanguineus evidentius eluxit, hoc signũ commouit & Præfectũ vrbis & primariũ Sacerdotem, vt diligenter inquirerent ecquis esset qui literas illas interpretari posset? Aiunt incolæ in Marsingæ regno esse Brachmanã, inter omnes Brachmanas literis & eruditione præstantẽ, qui varias linguas tenebat. Hominẽ continuò accersunt, & interrogãt an illas literas nossent. Respõdit literas esse prisca, quibus antiqui sapiẽtes vtebãtur, negligẽtia verò hominũ factum esse, vt earum cognitio interiret: quin etiam linguã, qua erant descriptæ, à paucis admodũ teneri. Admonet illi Brachmanã, vt in altare ascendat. Restitit ille, & nefarium facinus esse dixit, altare, in quo res diuina fieret, humanis pedibus cõculcari. Inuitus tamẽ subiit, & literas perlegit, quarũ & vim eã esse dixit, vt vna nota decẽ & quindecim, & viginti literarũ officio fungeretur. Sententia verò literarum in summa hæc erat: Thomam diuinũ virum fuisse à Dei filio, cuius erat discipulus, in eas oras Segami Regis tempore missum, vt Dei summi notitia gentes

gentes

gentes illas erudiret. ibique templum ex-
 struxit, & res admirabiles effecisse: atque
 tandem cum genibus flexis ad crucem
 illam affixus, orationem ad Deum fun-
 deret, à quodam Brachmana fuisse hasta
 transfixum: crucem verò eiusdem viri
 sanctissimi cruore tinctam, ad memoriã
 virtutis illius sempiternam, relictam fuis-
 se. Hæc erat sententia quæ literis conti-
 nebatur. Fecit autem maiorem fidem a-
 lius eiusdem sectæ vir aliunde accersitus,
 grandis admodum natu, & sapientiæ o-
 pinione præstans, qui literas in eandem
 sententiam interpretatus est. Huius au-
 tem crucis exemplum in eodem ligno, ex
 quo templum ædificatum perhibent, in-
 sculptum, cum literis publicis multorum
 virorum testimonio consignatis, retineo:
 cuius fides tantis tunc argumentis explo-
 rata fuit, ut nemo possit de tam claris at-
 que testatis viri diuini monumentis am-
 bigere. hucusque Olorius: quæ licet pro-
 lixiora, tamen haud incongrua videri
 possunt ad Apostolicas traditiones, tum
 de Ecclesiarum erectione, tum etiam de
 cruce in Ecclesia statuenda, tanti Aposto-
 li exemplo, demonstrandas pariter que-
 firmandas. Perseuerat in Ecclesia idem
 pristinus vsus, ut cum noua erigerentur
 Eccle-

Ecclesiæ, cruces in titulum ponerentur,
eademque & sacris imaginibus orna-
rentur.

*Fidei Christianæ mysteria diuinitus re-
uelata Gregorio Thaumaturgo.*

ILLVD de Gregorio Thaumaturgo
reticendum non est, quod cum ipse
olim auditor fuisset Origenis, illum-
que dixisse atque scripsisse nonnulla me-
minisset, quæ à communi aliorum Chri-
stianorum Orthodoxorum sententia dif-
creparent; cum iam adstringeretur, vt sibi
subditis Evangelicam veritatem (id mi-
nisterio Episcopatus, quod susceperat, ex-
poscente) sermonis prædicatione cõcre-
deret, mente anxius, ambiguusque qua
potissimum incederet via, diu multum-
que versatus est. Sed quomodo per miri-
ficum quendam visum sit illi diuinitus
sapientia impertita, Gregorius Nyssenus
declarat his verbis: Cùm enim per totam
noctem aliquando de ratione atque ser-
mone fidei despiceret & specularetur, &
varias animo cogitationes agitaret (erant
nimirum etiam tunc nonnulli, qui piam
& sinceram religionis doctrinam adalte-
rarent, ac per probabiles argumentatio-
nes sæpenumero etiam doctis & pruden-
tibus

*Baron.
tom. 2.*

*Gregor.
Episcop.
Neocæsæ
reæ.*

*Greg.
Nyss. orat.
de vita
Greg.
Thaum.*

tibus veritatem facerent ambiguam (pro qua tunc ei peruigilem curis atque solitudine noctem agenti, quidam in figura humana, facie ac forma senili, euidenter apparet, ornatu atq; cōpositione indumenti augustum quēdam, sacrum, atque diuinū referens decorem, magnam gratia vultus, atq; dispositione figuræ, præ se ferens virtutem. Hic verò visu perterritus, & surgere è lecto, & quis esset, cuiusve rei gratia venisset, sciscitari. Cū autem ille perturbationem mentis ei⁹ submissa voce sedasset, ac dixisset se iussu diuino apparuisse ei propter eas rationes quæ apud ipsum controuerse & ambigæ essent, vt piæ fidei veritas reuelaretur, & bono animo esse, audito sermone, & quodā cum gaudio, atque consternatione illum contueri cœpit.

DEINDE cum ille directo manum protendisset, & quasi ostenderet ei per digitorum directam protensionem id quod ex transuerso apparebat; hic & vna cum directa manus protensione circumagere suum obtutum, & videre aliam imaginem aduersam ei, quæ prius apparuerat in figura muliebri, excellentiorem quidem & angustiorē, quam pro humana conditione: rursus autem perterritus,
& fa-

& facie aduersa, vultum demittere, ac perplexus & dubitabundus hæsitare de spectaculo, cum oculis apparitionem ferre non posset: etenim miraculū visionis nimirum in hoc potissimū erat, quod cum nox esset obscura, lumen vna cum ijs qui apparuerant ei effulserat, quasi aliqua lucida tēda accēsa. Quum igitur oculis ferre apparitionem non posset eorum qui sibi apparuerant; inter sese rationem eius rei, de qua ambigebatur, exponentium ratiocinationem audiuit: per quam non solum accepit veram cognitionem fidei; verum etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognouit, utroque eorum propria appellatione alterum alloquente.

*Miraculum in adificatione Ecclesie apud
Iberos.*

DE Iberis historiam hoc loco recēdicamus, quam Ruffinus à certo homine, Bacurio comite, ei⁹ gentis rege fidelissimo viro, se accepisse testatur. Anno igitur Christi 327. Iberorum gens, quæ sub axe Pontico iacet, verbi Dei scēdera, & fidem futuri suscepit regni: sed huius tanti boni præstitit causam mulier quædā captiua: quæ apud eos reperia, cum fidelem ac sobriam satis duceret vitam,

*Ex Baron tom. 3
tertio.*

vitam, totisque diebus ac noctibus obsecrationes Deo perugiles exhiberet. in admiratione esse ipsa rei nouitas barbaris coepit; & quid hoc sibi vellet, curiosius perquirebant. Illa, ut res erat, simpliciter Christum se Deum hoc ritu colere fatebatur. Nihil ex hoc amplius barbari praeter nouitatem nominis mirabantur. Verum, ut fieri solet, ipsa perseuerantia curiositatem quandam mulierculis inferebat, siquid emolumenti ex tanta deuotione caperetur. Moris apud eos esse dicitur, ut si paruulus aegrotet, circumferatur à matre per singulas domos, quo scilicet si quis experti aliquid remedij nouerit, conferat laboranti. Cumque mulier quaedam paruulum suum per omnes circutulisset, ex more; nec aliquid remedij, cunctas domos lustrando, cepisset; venit etiam ad captiuam, ut, si quid sciret, ostenderet. Illa se humani quidem remedii nihil scire testatur: Deum tamen suum Christum quem colebat, dare ei desperatam ab hominibus posse salutem, confirmat. Cumque cilicio suo paruulum superposuisset, atque ipsa desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem.

SERMO autem defertur ad phares; factique fama magnifici usque ad aures
Re-

Reginæ perlabitur: quæ dolore quodam
 grauissimo corporis afflcta, in despera-
 tione maxima erat: rogat ad se captiuam
 deduci. illa ire abnuit, ne præsumere am-
 plius aliquid, quàm sexus sineret, videre-
 tur. ipsam se Regina deferri ad captivæ
 cellulam iubet: quam similiter supra cili-
 cium suam positam, inuocato Christi
 nomine, continuo post preces, sanam &
 alacrem facit exurgere, Christumque esse
 Deum, Dei summi Filium, qui salutem
 hanc contulerit, docet: eumque quem
 sibi auctorem suæ sciret esse incolumita-
 tis & vitæ, commonet inuocandum: ip-
 sum namque esse, qui & Regibus regna
 distribuit, & mortalibus vitam. At
 ille cum lætitia domum regressa, mari-
 to percontanti, causam tam subitæ sani-
 tatis aperuit: quique cum pro salute con-
 iugis lætus, mulieri munera deferri iube-
 ret: illa, Horum, inquit, ô Rex nihil capti-
 ua dignatur, aurum despicit, argen-
 tum respuit, ieiunio quasi cibo pas-
 citur: hoc solum ei muneris dabimus; si
 eum, qui me, illa inuocante, sanauit,
 Christum Deum colamus.

AD hoc tunc Rex segnior fuit, & inte-
 rim distulit, sæpius licet ab vxore com-
 monitus: donec accidit quadam die, ve-
 nante

*Regina
 curatur
 ab ancila.*

*Rex in
uocat
Christū.*

nante eo in siluis cum comitibus suis, obscurari densissimis tenebris diē, & per terræ noctis horrore, luce subducta, cæcis iter gressibus denegari: alius alio diuersi ex comitibus oberrant; ipse solus densissima obscuritate circūdatus, quid ageret, quo se verteret, nesciebat: cum repente anxios salutis desperationi animos cogitatio talis ascendit: Si verè Deus est Christus, quem uxori suæ captiua prædixerat, nū de se his tenebris liberet, vt ipsum ex hoc, omiſſis omnib⁹, coleret. Illicō vt hæc nondū verbo, sed sola mente deuouerat, reddita mundo dies Regem ab urbē perducit incolumem. Quiq; Reginae rē protinus, vt gesta est, pandit. Euocari iam iāque captiuam, & colēdi ritum vt sibi tradat, exposcit: neq; se vltra alium Deum, quàm Christū, veneraturum esse confirmat. Adest captiua, edocet Deum Christū; supplicandi ritum, venerandiq; modum, in quantū de his aperire sceminae fas erat, pandit. Fabricari tamen Ecclesiā monet, formamque describit.

*Credunt
Iberi.*

IGITUR Rex totius gentis, populo eōuocato, rem ab initio, quæ erga se ac Reginam gesta fuerat, exponit; fidemque edocet, & nondum sacris initiatus, fit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem,

gem, sceminæ per Reginam : cunctisque
idem volentibus, Ecclesia extruitur instā-
ter, & eleuato iam perniciousiter murorū am-
bitu, tempus erat, quo columnæ colloca-
ri deberent. Cumq; erecta prima vel se-
cunda, ventum fuisset ad tertiam, con-
sumptis omnibus machinis, & bouū ho-
minumque viribus, cum media iam in
obliquum fuisset erecta, & pars reliqua
nullis machinis erigeretur, repetitis se-
cundo ac tertio ac sæpius viribus, ne loco
quidē moueri, attitit omnibus, potuit.
Admiratio erat totius populi: Regis ani-
mositas hebescebat: quid fieri deberet,
omnes simul latebat. Sed cū interuentu
noctis omnes abscessissent, cunctiq; mor-
tales, & ipsa opera cessarent; captiua sola
in oratione pernoctans, mansit intrinsec⁹:
eū ecce matutinus & anxius cum suis o-
mnibus ingrediens Rex, videt columnā,
quā tot machinæ & tot populi mouere
non quierant, erectam, & super basim
suam libratè suspensam, nec tamen su-
perpositam, sed quantum vnus pedis
spatio in aëre pendentem. Tunc verò cōs
populi contuentes & magnificantes De-
um, verā esse Regis fidem & captiuae re-
ligionem præsentis miraculi testimonio
perhi

perhibebant. Et ecce iā mirantibus adhuc & stupentibus cunctis, in oculis eorum sensim supra basim suam, nullo contingente, columna deposita, summa cum liberatione confedit. Post hoc reliquus columnarum numerus tanta facilitate suspensus est, ut omnes, quæ superfuerant, ipsa die locarentur.

*Legatio
ab Iberis
ad Con-
stantinū.*

POSTEA VERÒ QUAM Ecclesia magnificè constructa est, & populi fidem Dei maiori ardore sitiebant, captivæ monitis, ad Imperatorem Constantinum totius gentis legatio mittitur. Rex gesta exponitur: sacerdotes mittere oratur, qui ceptum erga se Dei munus implet. Quibus ille cum omni gaudio & honore transmissis, multo amplius ex hoc lætatus est, quàm si incognitas Romano Imperio gentes & regna ignota iunxisset.

*De venerandarum imaginum pio
cultu.*

*Ex Lindano de
fugiendis
idolis.*

A NNO 1566. Busciducis accidit, quosdam D. Antonij imaginem gladijs, ascia, & bipennibus in frustra concidere, ut incendio via publica abolerent, verum quid accidit, non sanè impunè tulere impij, euestigio namque illa

illa peste, quàm D. Antonij iam olim appellamus Christiani (quod illi depellendæ sint eius, apud Deum p̄ij experti sæpè patrionum) corripuntur, totoque viriusque corpore instar granorum piperis, pestilens ille ignis ebullit: domum sese recipiunt infelices, quorum plaga socij deteriti, rogam deserunt trepidi. Tam atroci atque voraci consumebantur miseri totum per corpus incendio, vt postridie impiam afflarint animam, & funesta reliquerint cadauera variorum colorū stigmatibus, ceruleis, prasinis atris insignita. Istud tam est tota vicina notum, vt plurimos huius rei nor solum audierimus concorditer historiam ad viuum depingentes, additis etiã tam sacrilegorum, quàm familiarium nominibus: sed publici etiam viderimus Notarij fide non indigni neque obscuri testimonium. Sed horribilius est, quod anno 76. in Gallijs vsu venisse scribunt, cuius talem historiã Parisijs impressam vidimus, quæ hic ruditer est transfusa.

ANNO Domini 1576. 21. Iunij dum Dux Alenfonius frater Regis Franciæ esset in vrbē Castillo, & excubiæ pedestrium copiarum in villa, quæ dicitur Soulci, à dicta Ciuitate vno plus minus

N

mil-

miliari distante, agerētur: tres milites male feriatī deprehenderūt prae foribus templi imaginem B. Antonij in petra erectā, ac post multa scandala, ludibria & dictoria in eam congesta, caput quidem imaginis galea, manus verò armarunt hallebardia, talia cū execrandis blasphemijs euomētes: tu, si quid vales, si qua tibi potestas, in praesentiarum nunc eam demonstra contra nos, ac te defende. Quo dicto suis armis imaginem impetunt multis ictibus. Quibus non contenti, vnus eorum bis, aut ter displosa bombardā, imaginem illam oppugnare aggreditur, ac eius faciē intermentum & inferius labrum iaculatus globulo tormentario lacerat sacrilegus. At non impunè, nam eodem momento ille impius magno eiulatu exclamans, horridumque eiulans, totus, inquit, ardeo, totus cōburor, statimque prolabitur mortuus in terram. In cuius faciē eodē loco, vbi imaginem globo violarat, vice reddita ignis scelerū vindex, qui totum inde os replebat, velut via facta erūpens perluxit eum deuorans, etiam cum iam miserā exhalasset animam. Secundus autem non minus sentiens Dei omnipotentis manum, exclamat quoque, ignis vim se ferre non posse, volensque intesti-

na tor-

na tormenta per aquam effugere, in torrentem proximum præceps insiliit; nec Dei tamen præsentiam effugit, nam statim aquis submersus & suffocatus interiit.

PORRÒ tertius cernens suorum miserabile exitum, sui impositus ac totus exanimis humi affigitur ac deportatus in proximam domum, totus feruentissimis febribus æstuabat, adeoque violentis, ut miserum de se spectaculū omnibus exhiberet. Cuius miseria permoti cognati, amici maximè & cōmilitones Catholici, ad templum velut ad asylum confugere, Deo patri (sacerdote perquisito) sacrificiū mediatoris solemnī cantu coram imagine B. Antonij immolare, ac vnanimiter cateruatim proruentes tam milites quā dicti loci incolæ, Deū summa animi deuotione pro miseri fratris salute comprecari, postq; sacrificium & multas preces afflictū inuisere, præmissisque multis alijs orationibus aquā ei benedictā sacerdos aspergebat. E vestigio ille miser, sibi redditus crimen agnoscit, Dei misericordiam inelamat, ac manus tendens in cælū humilibus ac magnis precibus suum errorem professus accusans, omniū deprecationes supplex ambit, vt pro ipso Deū

clementiſſ. interpellent. Nec defuit diuina miſericordia nam ſtatim priſtinæ valetudini ac menti reſtituitur, eaq; etiam nū hodie fruitur. Hæc veraciter ſub oculis pluſquam trium milium hominū palam geſta docent, quā reuerentiam venerandis Sanctorum imaginibus debeamus. nā eſſi numen in illis nullum ſit: tamen eorum nobis refricant ſubinde memoriā, quos repræſentant, ac ad glorioſa Dei in ſuis Sanctis opera collaudanda, eorumq; pia patrocinia imploranda, pleroſque Chriſtianorum exſtimulant. Quin & contumelia illata iſtis in Dei ſeruos, immò in communem Dominum redundat. Qui hic aliquando eſſi ſilere videatur, non tamen ſilebit ſemper. Haſtenus ex libello illo anno 76. Pariſijs impreſſo apud Wilhelmum Merlin. Neque deſunt noſtratia ſigna, quibus ingrata DEVS ſibi venerandarum imaginum euerſionem fuit hoc ſeculo conteſtatus. Cum Hermannus Modet ſeditioſorum fax apud Haſſelen. Haſbaniaꝝ Leodien. nocte quadam bis terve templum veniſſet, vt SS. imagines confringeret, fuit lucernarum lumen bis ter extinctum: denique cū rogam immanem excitafſet, vt iniectas in eum SS. imagines exureret, fuit ille ro-

gus

Anno
67.
Haſſelt
Leodien.

gus iniectus venerandis S S. imaginibus
haud aliter subito extinctus, quam si co-
piosissimo fuisset imbri persusus.

*De monasterio propter simoniam euerso
horrendum miraculum.*

APVD superiorem Thebaidem
quoddam Dominarum fuisse an-
te duos annos dicitur eximium
& diues monasterium, omni pulchritu-
dine & excellentia decoratum. In quo pe-
nè ducentæ dominæ vitæ honestæ, reli-
gionis reclusionem continua, decorisque
moribus permanebant. Ad hoc qui insūt
figant aures, ne quod vna hauserit auricu-
la, fundat altera. Navis quantumcunque
sana sit & integra, modicum, immò nil
prodest si alta volens secare maria, par-
uum quod fundo inest foramen relin-
quat, vt dira naufragia non admittat. Cur
hæc sim fatus, præsentis narrationis hi-
storia reserabit. Multis itaque pollens præ-
dictum monasterium virtutibus, vnum
pessimum, quo ruit, simoniæ vitium re-
tinebat. Nam instigante diabolo in eisdẽ
Dominabus hæc obseruabatur abusus, vt
si quam vellent in monialem recipere, nõ
tantum intuitu caritatis & misericordiæ
recipiendæque bonitate, quantum reci-

*Cyrillus
quidã in-
ter epist.
B. Aug.*

piebant respectu pecuniæ. Nulla enim in monasteriū intrare mansura poterat, nisi certa pecuniæ quātitas secū iret. In hoc siquidem erat monasterio sanctimonialis quædā Domina, ætate grandæua, quæ ab infantia sua ieiunijs & orationibus, omni resoluta cœno. Deo vixerat, quæ vitiū illud quam plurimū abhorrebat. Cui nocte quadā, vt erat solita, in oratione positæ, gloriosus Hier. apparens, locū illum immenso lustrans lumine eidē præcepit, vt ad Abbatissā, ceterasque illius cœnobij moniales mane pergeret, nuncians quod nisi à peccato iā inueterato manū extraherent, vltionē diuinam subito expectarent. His dictis disparuit. Perterrita visione insueta sanctimonialis domina, quis hic fuerit iubēs talia nunciari in seipsa auidē pertractans, totā illam noctē peregit insomnē. Crepusculo diei adueniente, omnes in capitulo moniales propulsato tintinnabulo cōgregauit. Quibus admirantibus, ad quæ forent tanta festinatione in capitulo cōuocata: sanctimonialis domina ex earū assurgens medio, quæ viderat & audierat omnibus patefecit. Fit illic ex hoc monialibus cunctis irrisio, hanc exclamāt fatuam, multisque garrūt derisionibus, hanc fortē illa nimia ebrietate

rate somniasse. Illa verò accepta cõtume-
lia, patientiæ scuto se muniens, de earum
siquidẽ pertinacia nimiũ dolens, sed de
sua despectione gaudens, ad solitas redijt
orationes, supplicans cõtinuò, ne suis mo-
nialibus quod audierat eueniret. Transa-
ctis igitur diebus decẽ, nocte media præ-
dictæ sanctimoniali Dominæ hac pro re
deuotis orationibus incumbenti, glorio-
sus iterum apparuit Hieronymus, eidem
vt quæ prius nunciauerat monialibus, de-
nuò intrepidè nunciaret, allocutione mã-
dauit benigna. Ad quem illa. *Quis, inquit*
es Domine talia mihi mandans? Hiero-
nymus, inquiens, sum, & ab eiusdẽ eua-
nuit oculis. Illa verò sciens earũ duritiem,
quid ageret, quidve diceret, nesciebat. Tã-
dem malens à monialibus insana & ebria
reputari, quàm diuinis contraire præcep-
tis, congregatis iterũ monialibus quæ vi-
derat & audierat voluit intimare. Ast vt
eã assurgere moniales pestiferæ conspe-
xerunt, diuini nescij iudicij sibi de proxi-
mo affuturi, antequam verba inciperet, è
capitulo cum magnis cachinnationibus
exierũt. Quin transactis insuper dieb⁹ tri-
bus dormiẽti prædictæ sanctimoniali do-
minæ gloriosus Hier. ineffabili quasi so-
cietate vallatus angelorum, nocte appa-
rens media eam excitauit, eiq; iussit proti-

nus, vt de illo exiret monasterio, nec subito futuram sententiam expectaret. Cū illa verò multis lacrymis supplicaret, ne hoc fieret, gloriosus, inquit Hieronymus: Ad Abbatissam & cæteras pergito omni mora postposita, eisdem nuncians, quòd nisi pœniteant, hac nocte diuinā sentient ultionem: si autem in sua permanebunt duritia, statim exiens amplius in monasterio non moreris. His finitis abcessit. Hæc igitur audiens sanctimonialis, anxia plenaq; tristitijs, capitulum adiit, & campanam cœpit vehementer, vt ad capitulum accederent moniales resonare. Quo abbatissa de somno euigilans, cognoscesque ab hac fore campanam pulsatam, cū iracundia ad capitulum properauit. At vbi illam vidit, diris eam minis increpans, nullum voluit audire verbum: promittens quòd nisi cessaret hoc agere, secum in monasterio amplius non maneret. Cui sanctimonialis domina, ne tardes, inquit, quæso agere quæ promittis. Profectio me noscas hoc in loco amplius non mansuram. Gloriosus equidem Hieronymus apprensus mihi tantummodo hoc statim monasterio futurum iudicium patefecit. Hæc audiens Abbatissa deridere cœpit, hanc æstimans vesano capite ista fari, &

ostia.

ostiarum conuocans, iussit vt hanc de monasterio protinus effugaret, mandans eidem, vt aliqua hora sic extra demissam postmodū faceret introire, vt sic ab inceptis operibus iam cessaret. Hac de re læta sanctimonialis domina, quā citius potuit ē monasterio est egressa: lacrymis tamen fusa doloribusq; repleta pro ijs quæ monasterio nouerat euenire. Terribilis siquidem Deus fortis atq; potens, & quis resistet? Heu cur cū homines non formidant, scientes se nullatenus posse ab eius effugere manibus, vt eos magnum & inenarrabile iudiciū eius non comprehendat: saltem his miseri terreantur exemplis. Audiant qui in suis confidunt diuitijs, quique in ira concitant excelsum dominum suæ auaritiæ siccitate, quale huic monasterio à Deo propter pecunias faciē auertendi de cælo est iudicium iaculatū. Penè limen ostij sanctimonialis domina excesserat, quando subito totum corruit monasterium, omnes opprimens moniales, ita quod ex eis viua aliqua non remansit. Sanctimonialis verò illa in quodam venerabili dominarum monasterio, quod est apud inferiorem Thebaidem, hætenus sanctitate præcipua viua manet.

N. 5.

Vita

Vita Fratris Theophanis, eiusque mirabilis visio & de communicatione cum hæreticis.

*Ex Sophronij
prato spiritali.*

SENEX quidam sedebat in Laura Calamonis iuxta Iordanem fluvium, Cyriacus nomine, magni apud Deū meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, Theophanes nomine, vt interrogaret senem de cogitationibus fornicationis. Quem senior hortari coepit, atque vrgere verbis de pudicitia & castitate. Frater itaque magnificè ædificatus ait seni: Verè, mi pater, ego nisi in regione mea Nestorianis communicarem, tecum permanissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessima, & perniciosa hæresi, accederetque ad 2. sanctā Catholicam, & Apostolicam, dicens non 3. esse aliam salutis spem nisi rectè sentiamus, & credamus (vt reuera est) sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, domine pater, omnes hæreses sic dicunt, Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. Quid ergo faciam, infelix, nescio. Deprecare igitur Dominum vt re ipsa me certum faciam, quæ

quæ nam sit vera fides. Senex autē cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi: Sede in spelunca mecū, & omninō spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissoq; fratre in spelunca sua egressus est senior propè mare mortuum oīās Deū pro fratre. Circa autē horam nonam diei sequentis, aspexit frater quendam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. Assumensq; eum, duxit in locum tenebrosū, ac foetidū, ignes euaporantem. Atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutichen, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Originem, & alios quosdam. Dixitque illi is, qui apparuerat: Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autē supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quàm te senex docet. Dico enim tibi, quia si 4. omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionē sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.

Remansit autem cum sene, impletis que
quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

2. *Vides, quod sancti viri, qui Dei man-
data custodiunt, meritum habent a-
pud Deum.*

2. *Nota quod heretici omnes sunt extra
gremium sancte Catholica atq; Apo-
stolica Ecclesia.*

3. *Mira sententia, & vera, non esse aliam
salutis spem, nisi recte sentiamus, &
credamus sanctam Mariam Dei geni-
tricem esse.*

4. *Sicut non sufficit sola fides ad salutem,
absq; bonis operibus. sic nec omnia ope-
ra sine recta fide.*

*Miraculum, quod pueris Apamiensibus
contigit, qui ioco verba sancte con-
secrationis protule-
runt.*

*Ex Soph.
prato spi-
rituali.*

NARRAVIT nobis Gregorius A-
phricanae prouinciae Praefectus,
fidelis vir & monachorum, ac pau-
perum amator, bonisque omnibus sem-
per congaudens. In prouincia, inquit,
mea, (erat autem Apamiensis secunda Sy-
reorum prouincia, ex oppido, quod dici-
tur Thorax) ager est ab vrbis quasi qua-
draginta milliaribus distans, qui Gonagus
dicitur.

dicitur. In hoc, siue in eius finibus pueri
 pascebant pecora. Et vt solet pueris con-
 tingere, puerili consuetudine voluerunt
 ludere. Cumque luderent, dixerunt ad in-
 uicem: venite celebremus 1. Missam, &
 offeramus 2. sacrificium, & communice-
 mus, sicuti semper in sancta Ecclesia Pres-
 byter facit. Quod cum placuisset omni-
 bus, constituant, ex eis vnum in ordine
 Presbyteri, duosque alios pueros in mi-
 nistrorum officio, veniantque ad saxum
 quoddam (erant enim in planitie) ac su-
 pra saxum in morem altaris apponunt
 panem, & vas testium cum vino. Assi-
 stuntque, vnus quidem coram altari, qui
 fungebatur officio Presbyteri, medius,
 duo vero alij hinc, atque hinc veluti mi-
 nistri. Et ille quidem sanctæ oblationis
 verba dicebat, illi vero fasciulis, quæ fe-
 rebantur, pro flabellis vtentes, auram fa-
 ciebant. Qui vero Presbyteri fungebatur
 officio, ideo sanctæ oblationis verba scie-
 bat, quia consuetudo fuit in Ecclesia vt
 pueri in missis ante sacrarium assisterent,
 primique cum clericis communicarent
 3. sanctis Christi Dei nostri venerandisque
 mysterijs. Quoniam vero quibusdam in
 locis alta voce consueuerunt Presbyteri
 sancti 4. sacrificij orationes pronunciare,

N. 7

pueri,

pueri, vt propius astantes, sæpius eas au-
 diendo didicerant. Cùm igitur omnia se-
 cundum ecclesiasticam consuetudinem
 fecissent, priusquam panes frangerent, ac
 communicarent, ignis cælitus dilapsus,
 quæ proposita erant, consumpsit omnia,
 saxumque totum combussit, ita vt nihil
 omnino neque saxi, neque eorum, quæ
 fuerant superposita, relinqueretur. Hoc
 repente s. factum cum pueri vidissent, in
 terram omnes præ timore corruerunt, ac
 diutius semiuiui permanserunt, neque e-
 rumpere vocem, neque de terra surgere
 valentes. Cum verò non redirent domū
 hora qua consueuerant reuerti, sed pa-
 uidi in pavimento iacerent, exierunt pa-
 rentes eorum, vt viderent, cuius rei gra-
 tia consueto legitimo tempore non re-
 uertissent. Egressi autem pueros omnes
 humi iacentes inuenerunt, neque agno-
 scentes aliquos, neque loqui se alloquen-
 tibus valentes. Parètes itaque semiuiuos
 eos aspicientes, vnusquisque filium suū
 affumentes, domum retulerunt, viden-
 tesque pueros in huiusmodi excessu diu-
 tius durantes, mirabatur nimium, causā
 stuporis eorum omnino ignorantes, nec
 discernere valentes, sæpiusque illos per
 totum diem interogantes, responsum
 nul-

nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant, scire omninò nequiverunt, donec dies illa, & nox tota præterijt. Tunc enim & pueri paulatim in se ipsos reuersi, cuncta illis retulerunt quæ gesta fuerant, & quæ illis contigerant. Assumentes verò parentes suos, & omnes loci ipsius habitatores egressi sunt, & locum eis ostenderunt, in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quedam elapsi ignis indicantes. Audientes verò quæ facta fuerant, & ipsis indicijs rerum admoniti in ciuitatem cucurrerunt, cū etiam Episcopo ciuitatis nunciauerunt. Qui percussus magnitudine, & nouitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit. Vidensq; pueros, & rursus ab eis, quæ euenerant audiens, & cælestis ignis vestigia intues, pueros quidem oēs continuò in monasteriū immisit, locum verò monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis Ecclesiam construxit, & sanctum erexit altare. Dicebat autem ipse Dominus Gregorius fidelissimus vir, vnum se istorum puerorū aspexisse, eiusque monasterij, vbi miraculū acciderat, monachum ipsum cognouisse. Et istud quidem magnum re vera, ac diuinum, stupendumque miraculū Gregorius venera-

nera-

nerabilis nobis ætate nostra contigisse enarravit.

1. Ecce missa usum antiquissimum, & non novum institutum.
2. Ecce eam appellari sacrificium.
3. Vide sacram Eucharistiam appellari sancta Christi Dei nostri, veneranda-que mysteria.
4. Nota denuò sancti sacrificij orationes.
5. Ne putes tantum miraculum idcirco Deum ostendisse, quod ille puer verè confecisset Eucharistia sacramentum, cum ordo deesset, sed ob reuerentiam similitudinis saltem representati mysterij totum id actum fuisse existimes.

Baron.
ann. 10.
4. ex
Hier.
ep. 49.
Vercel-
lensis
mulier
innocens
accusata
adulterij.

Miraculum insigne de innocenti muliere
Vercellensi adulterij damnata.

VERCELLAE. Ligurum ciuitas haud procul à radicibus Alpium sita, olim potens, nunc rarò est habitatore semiruta. Hanc cum ex more Consularis inuiseret; oblatam sibi quandam mulierculam vnà cum adultero (nam hoc crimen maritus impegerat) pœnali carceris horrore circumdedit. Neque multo post cum luidas carnes yngula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus:

ribus dolor quæreret veritatem: infelici- *Adolo-*
 cissimus iuuenum, volens compendio *scens*
 mortis longos cruciatus vitare, dum in *innocens*
 suum mentitur sanguinem, accusavit a- *cedit tor-*
 lienum, solusque omnium miser merito *mentis.*
 iussus est percuti, quia non reliquit inno-
 xia, vnde posset negare.

At verò mulier, sexu fortior suo, cum
 equuleus corpus extenderet, & sordidas
 foetore carceris manus post tergum vin-
 cula cohiberent; oculis, quos tantum
 terror alligare non poterat, suspexit ad
 cœlum; & voluit per ora lacrymis: Tu,
 inquit, testis, es Domine Iesù, cui occul-
 tum nihil est, qui es scrutator renis &
 cordis; non ideò me negare velle, ne pe-
 ream; sed ideo mentiri nolle, ne pec-
 cem. At tu miser homo, si interire festi-
 nas, cur duos interimis innocentes? E-
 quidem & ipsa cupio mori: cupio inui-
 sum hoc corpus exuere, sed non quasi
 adultera: præsto iugulum; micantem
 intrepida excipio mucronem; innocen-
 tiam tamen mecum feram. Non mori-
 tur quisquis victurus, occiditur.

Igitur Consularis, partibus cruore lumi- *Torque-*
 nibus, vt fera, quæ gustatum semel san- *tur dirè*
 guinem semper sitit, duplicari tormen- *innocens.*
 ta iubet; & sæuum dentibus frendens *foemina.*
 sumi-

Psalm. 7.

similem carnifici minatus est pœnam, nisi confiteretur sexus infirmior, quod non poterat robur utile reticere. Succurre, Domine Iesu: ad vnum hominem tuum complura sunt inuenta supplicia. Crines ligantur ad stipitem: & toto corpore ad equuleum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur: vtrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ. Immota mulier manet, & à dolore corporis spiritu separato, dum conscientia bono fruitur, vetuit circa se sequi tormenta. Iudex crudelis quasi superatus attollitur: illa Deum deprecatur. Soluuntur membra compagibus: illa oculos ad cœlum tendit. Quasi de communi scelere alius confitetur: illa pro confitente negat, & periclitans ipsa alium vindicat periclitantem. Vna interim vox est: Cæde, ure, lacera: Non feci. Si dictis tollitur fides: veniet dies, quæ hoc crimine diligenter discutiat, habeo Iudicem meum.

Iam lassus tortor suspirabat in gemitum, nec erat nouo vulneri locus. Iam victa sæuitia corpus, quod laniarat, horrebat. Extemplò ira percitus Consularis: Quid miramini, inquit, circumstantes, & torqueri mulier mauult, quàm perire?
Adul-

Adulterium certè sine duobus commit-
 ti non potuit: & esse credibilius reor, no-
 xiam ream negare de scelere, quàm in-
 nocentem iuuenem confiteri. Pari igitur
 prolata in vtrumque sententia damna-
 tos carnifex trahit. Totus ad spectaculū
 populus effunditur, vt proesus quasi mi-
 grare ciuitas putaretur, stipatis proruens
 portis turba densatur. Et quidem miser-
 rimi iuuenis ad primum statim ictum
 amputatur gladio caput, truncumque
 in suo sanguine volutatur cadauer. Post-
 quam verò ad feminam ventum est, &
 flexis in terram poplitibus, super tremē-
 tem ceruicem minans eleuatus est gla-
 dius, & exertam carnifex dexteram to-
 tis viribus concitauit, ad primum cor-
 poris tactum stetit mucro letalis, & leui-
 ter perstringens cutem, rasuræ modicæ
 sanguinem aspersit. Imbellera manum
 percussor expauit; & victam dexteram,
 gladio marcescente, miratus, in secun-
 dos impetus torquet: languidus rur-
 sus in foeminam mucro dilabitur, &
 quasi ferrum eam timeret attingere,
 circa ceruicem torpet innoxiam. Ita-
 que furens & anhelans lictor, paluda-
 mento in ceruicem retorto, dum totas
 expedit vires, fibulam quæ chlamydis

*Adolo-
 scens ca-
 pite ple-
 titur.
 Femina
 frustra
 percuti-
 tur.*

mor-

*Insultat
carnifici
innocens
foemina.*

mordebat oras, in humum excussit, ignarusque rei enssem librabat in vulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurum ruit: collige multo quæsitum labore, ne pereat. Proh, rogo, quæ est ista securitas? Impendentem non timet mortem, letatur percussa, carnifex pallet, oculi gladiū non videntes, fibulam vident: & ne parum esset quod non formidabat interitum, præstat beneficium sæuienti. Iam igitur & tertius ictus sacramentum frustratus erat Trinitatis: iam spiculator exterritus, & non credens ferro mucronem aptabat in iugulum, ut qui secate non poterat, saltem premente manu, corpori conderetur. O omnibus res inaudita sæculis? Ad capulum gladius reflectitur, & velut dominū suum victus aspiciens, confessus est, se ferire non posse. Huc huc mihi triums exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, circa quorum saraballa sanctamque cæsariem innoxium lusit incendium. Huc beati Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, Spiritu sancto

Dan. 5.

*Dan. 13.
24.*

sancto puerum replente, saluata est. Ecce non dispar in vtraque misericordia Domini. Illa liberata per Iudicem, ne iret ad gladium: hæc à Iudice damnata, absoluta per gladium est.

Tandem ergò ad feminam vindican- *Populus*
dam populus armatur: omnis ætas, om- *pro in-*
nis sexus carnificem fugat, & coetu in cir- *nocente*
culum coeunte exclamat. Non credit *fœminæ*
penè vnusquisque quod videt. Turba- *insurgit.*
tur tali nuncio vibs propinqua, & tota
lictorum turma glomeratur. E quibus
medius, ad quem dånatorum cura perti-
nebat, erumpens, & caniciem immundã
perfuso puluere turpans: *Quin meum,*
inquit, ò ciues petitis caput? me illi vica-
rium datis? Si misericordes, si clementes
estis, si vultis seruare damnatam: inno-
cens certè perire non debeo. Quo flatu
vulgi concussus est animus, mæstusque
se per omnes torpor insinuat: & mirum
in modum voluntate mutata, cùm pie-
tatis fuisset quod defenderant; pietatis
visum est genus, vt pateretur occidi. No-
uus igitur ensis, nouus percussor appo-
nitur. Stat victima, Christo tantum fa-
uente munita; semel percussa concuti-
tur; iterum repetita quassatur; tertio
vulnerata prostermitur. O diuinæ poten-
tiæ

tia sublimanda maiestas? quæ prius fuerat quarto percussa nec læsa, idè post paululum visa est mori, ne pro ea periret innoxius.

Quinque rosa post mortem inuenta in facie religiosi monasterij S. Bertini, ob cultum beata Virgini præstitum.

Excerpta ex tabella in Ecclesia eiusdem monasterij pendente.

Ioscio legitur quo-

QUIDAM venerabilis Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesie reuertens olim à curia Romana, in Abbatia S. Benedicti, quæ est apud S. Audomarum, hospitatus est, & die crastina ductus in Capitulum, sermonem ædificationis cum fratribus habuit. Functio autem sermone, indicauit eis, quod cum esset apud Beneuentum, audisset à quodam viro religioso, qui de partibus Hierosolymitanis oriundus erat, quod in illa terra quinque psalmos incipientes à singulis literis nominis beatae semper Virginis Mariæ, in honore & memoria ipsius frequentare consueuerant. Hi ergo sunt psalmi: Magnificat, Ad Dominum, Retribuere, In conuertendo, Ad te leuauit, & singulis psalmis salutationem angelicam, scilicet Aue Maria, præmittent. Erat autem ibidem in Conuentu S. Bertini monachus quidam Ioscio nomine

mine qui hæc vigilanter audiuit, & quod
 tidie post matutinum prædictos psal-
 mos in honorem beatæ Mariæ Virginis
 decantare cœpit. Accidit igitur vt quadã
 nocte circa festum S. Andree Apostoli
 surgentibus fratribus ad vigiliis, ille fra-
 ter Ioscio choro psallentium non inter-
 esset. Supprior verò chorum circumiens
 cum lucerna, ibi cum non inuenit, ad le-
 ctum eius citius perrexit, & defun-
 ctum reperit. Conuocati itaque fratres
 accurrunt stupentes & lugentes, vultuq;
 eius discooperientes inuenerunt quinq;
 flores rosarum in vultu ipsius. Vnus e-
 grediebatur ex ore & lingua eius: Duo de
 oculis, & duo de auribus. Lætantes au-
 tem pro tali miraculo, detulerunt eum in
 chorum, & facie discooperta cum recen-
 tibus rogis diligentius intuentes, in rosa
 quæ de ore egrediebatur, inuenerunt
 scriptum, Maria. Tenuerunt igitur illum
 per septem dies donec tres Episcopi con-
 uenirent, quorum vnus fuit Attrebatē-
 sis Episcopus, qui fuerat Abbas Cister-
 ciensis, & multi alij Clerici & Laici, qui
 viderunt magnalia Dei. Id verò accidit
 circa annum Domini 1163. circa finem
 regiminis Leonis Abbatis & Theodori-
 ci comitis.

*eidie
 quinque
 psalmos
 in hono-
 rem B.
 Maria.*

*Ioscio in-
 uentus
 mortuus
 cū quin-
 que rosis
 in vultu.*

INDEX



INDEX

RERVM MEMORABILIVM,
QVAE HIS MIRACV-
LIS CONTI-
mentur.

- A**bbas Pontius à Calisto 2. deponitur. 175
- Publica absolutiones profunt Defunctis. 122
- Adolescens capite plectitur. 165
- Alphosus Rex fundator monasterij Cluniacensis. 134
- Propter ambitionem religiosi quidam damnati. 276
- Angelicum testimonium. 37
- Apparitio Stephani Abbatis. 58
- Apparitio Bernardi viri nobilis post mortem. 54
- Apparitio Guidonis militis ter post mortem. 92. 102
- Sancius defunctus apparet preces implorans. 129
- Puer apparet reuelaturus beatum suum statum. 254
- Austeritas vita fratris Benedicti. 97
- Bene-

INDEX.

	<i>Benedictus ferè semper cum Angelis</i>	95
	<i>Benedictus moriens videt multitudinem dealbatorum i. Angelorum.</i>	97
	<i>Beneficia Ecclesiastica profunt mortuis.</i>	125
	<i>Caritas Matthai monachi.</i>	167
	<i>Carthusianorum institutum.</i>	225
	<i>Castitas adolescentis Gerardi notanda.</i>	30
	<i>Celebrabat quotidie Gerardus monachus.</i>	41
	<i>Cœlestia audire qui mereantur.</i>	42
	<i>Communicare non potest mentitus in confessione.</i>	20
	<i>Communicat iam moriturus.</i>	201
	<i>Confessus palliatè & fictè communicare nititur, at non potest.</i>	15
	<i>Confessionem poenitentis dæmon impedire conatur.</i>	22
	<i>Per confessionem miles liberatur à vexatione dæmonis.</i>	24
	<i>Confessio veraciter & deuotè facta eripit monachū è faucibus dæmonū.</i>	248
	<i>Crux victoria trophaum in templis erigitur.</i>	266
	<i>Crucem miles adorat.</i>	24
	<i>Signo crucis angel' signat infirmariū.</i>	91
	<i>Signo crucis fugantur dæmones</i>	194
	<i>Crux morientibus presentanda.</i>	202
	<i>Crucis S. Thomæ Apostoli miracula.</i>	266.
	257	
	O	
		Deme-

INDEX.

<i>Damoni bus quomodo utitur Deus erge homines.</i>	69
<i>Damones ut rustici deformes rostrati apparent infirmo</i>	27
<i>Damones aqua benedicta ab infirmo fugantur.</i>	28
<i>Damonis horrenda visio.</i>	43
<i>Damonem comprimit Gerardus iam defunctus.</i>	44
<i>Damon monachum tentans scilla fugatur.</i>	62
<i>Damones loquuntur ad inuicem.</i>	62
<i>Damon quibus armis repellitur.</i>	ibid.
<i>Damones iactitant flagitia sua.</i>	ibid.
<i>Damonis voluntas quantumcumq; auidalegibus arctatur.</i>	66
<i>Damones religiosa veste induti apparent fratri.</i>	83
<i>Damones adsunt Eponi monacho agonizanti.</i>	80
<i>Apostoli presentia sua fugant damones.</i>	31
<i>Diabolus sub Abbatis specie apparente tentat ut monachus monasterium deserat.</i>	64
<i>Diabolus in specie ursi apparet Armano.</i>	77. 78
<i>Diabolus obicit crimina in morte.</i>	116
<i>A diabolo per nera rapitur Otgerius. dimissus</i>	

I N D E X.

	<i>missus grauitat colliditur.</i>	145
	<i>Diaboli inuidia magna aduersus Clu-</i>	
	<i>niacense monasterium.</i>	58
	<i>Diligentia Gerardi monachi in officio.</i>	32
	<i>Comes oppressor Ecclesiarum à diabolo</i>	
	<i>per aëra rapitur, nunquã postea visus.</i>	
	143.	
	<i>Ecclesiam viriliter defendit Matthæus</i>	
	<i>Albanensis Episcopus.</i>	186
	<i>Ad sacramentum Eucharistia: deuotio</i>	
	<i>Gerardi.</i>	33
	<i>Gerardo: apparet Christus puerulus in</i>	
	<i>Eucharistia.</i>	ibid.
	<i>Eucharistia sacramentum miraculis ap-</i>	
	<i>probatur.</i>	41. 245
	<i>Eucharistiam venerantur apes.</i>	2
	<i>Eucharistia apparet in specie pueri.</i>	262
	<i>Contra nonas exactiones.</i>	116
	<i>Exequias cuiusdam viri sancti celebrat</i>	
	<i>Innocentius Paps.</i>	206
	<i>Excommunicatur Pontius cum Pötianis</i>	
	<i>ab Honorio.</i>	178
	<i>Excommunicatus, nisi solutus, ad iudicium</i>	
	<i>ire non potest.</i>	179
	<i>Ab excommunicatione liberantur Pen-</i>	
	<i>tiani monachi.</i>	180
	<i>Elemosyna minuit pœnas purgatorij.</i>	32
	<i>Fides sola sine operibus non sufficit ad sa-</i>	
	<i>lutem.</i>	239
	Q 2	<i>Fidei</i>

I N D E X

<i>Fidei Christiana mysteria Gregorio Thaumaturgo reuelantur.</i>	271
<i>Fœmina innocens frustra percutitur.</i>	297
<i>Gaufredus Prior apparet post mortem.</i>	115
<i>Guidonis Gebennensis Episcopi pietas.</i>	103
<i>Habitus Dominicanorum B. Virgo Re- ginaldo contulit.</i>	250
<i>Habitus monachorum in extremis su- scipere non est vituperabile.</i>	26
<i>Hæretici omnes extra gremium Ecclesie.</i>	288
<i>Honores mutât mores, raro meliores.</i>	174
<i>Hostia sacra ter de manibus immunda sacerdotis euanescit.</i>	5
<i>Tres hostia ad sacerdotem mundatum redeunt.</i>	9
<i>Humilitas fratris Benedicti.</i>	83
<i>Iberi per ancillam ad fidem perducti.</i>	273
<i>Iconoclasta igne S. Antonij correpti.</i>	278
<i>Ieiunium quadragesimale.</i>	87. 107
<i>Iesus paruulorum humilitate & simpli- citate delectatur.</i>	237
<i>Imaginem S. Antonij tres milites bla- phemys afficientes puniuntur.</i>	280
<i>Incendarius monachus pertinax ab an- gelo perimitur.</i>	209
<i>Inferni pœnas qui non experientur.</i>	90
<i>Iniuria corpori Dominico facta punitur diuinitus.</i>	4
	Inno-

INDEX

Innocentia parvulorum religiosorū Chri- sto grata. 253	253
A Judais non sunt mutuanda pecunia. 183	183
Iudex secularis propter munera & iniu- stitias damnatus. 132	132
Ad iudicium Dei raptus pravius sacerdos damnatum se manifestat. 112	112
Iosci religiosus legit quotidie quinq; psal- mos in honorē nominis beatissima vir- ginis. 302	302
Lis & contentio orta inter Priorem & Prapositum. 38	38
Luxuriosum presbyterum infirmum duo leones discerpere contendunt. 108	108
Mali dum in malo perseverant, deserendi. 258	258
S. Maiolis puerum septennem mortuum suscitat. 244	244
B. Maria Dei mater à tentato daemones repellit. 233	233
Mira res qua Neapoli accidit. 259	259
Miraculum cereorum Romanorum. 276	276
Miraculum. 234	234
Nota miraculum. 254	254
Perpulcrum & stupendum miraculum. 257	257
Miracula tria pro confirmatione fidei Eri- charistia. 261	261
Miles nobilis & opulētus fit monachus. 77	77
O. 31	Miles

INDEX.

<i>Miles defunctus apparet petens suffragia</i>	122
<i>Missæ usus antiquissimus.</i>	291
<i>Missæ prodest vivis.</i>	148
<i>Missæ sacrificio quidam terra obrutus per annum nutritur ab angelo.</i>	147
<i>Missæ appellatur sacrificium.</i>	291
<i>Missæ mali sacerdotis valet.</i>	262
<i>Ad monasticen aspirans Matthæus con- stanter honores & beneficia deserit.</i>	156 158
<i>Monasterij Cluniacensis laus.</i>	46
<i>Monasterium propter Simoniam eversum</i>	283
<i>Monialium clausura miraculo compro- batur.</i>	96
<i>Morientibus prodest passio Domini lecta</i>	196.
<i>Morientibus crux presentanda.</i>	262
<i>Mors Matthæi Alban. Episcopi miris in- signibus gloriosa.</i>	188
<i>Moriens quidam videt Dominum &c.</i>	90
<i>Nota contra hæreticos, officia Ecclesiasti- ca prodesse mortuis.</i>	125
<i>Nota cur fiant nova miracula.</i>	113
<i>Obedientia Gerardi monachi.</i>	31
<i>Odium in corde retinens hostiam videre non potest in Missa.</i>	264
<i>Oratione, & nenos &c. tentatus à demo- nibus.</i>	

I N D E X.

	<i>monibus liberatur.</i>	238
	<i>Ordinem rigidè seruat Matthaus mona-</i>	
	<i>chus.</i>	172
	<i>Patientia fratris Benedicti.</i>	83
	<i>Peregrinatio ad loca sancta.</i>	76
	<i>Peste moritur Pontius.</i>	181
	<i>S. Petrus defendit Gaufridum in morte</i>	
	<i>contra damones.</i>	116
	<i>Per pœnitentiam vitatur aeterna dâna-</i>	
	<i>tio.</i>	52
	<i>Pontius Abbas schismaticus proclama-</i>	
	<i>tur.</i>	179
	<i>Pontius omni honore & officio Ecclesia-</i>	
	<i>stico priuatur.</i>	180
	<i>Pontius peste moritur.</i>	181
	<i>Psalmus, Miserere mei Deus, prodest de-</i>	
	<i>functis.</i>	105
	<i>Precibus alterius presbyter infirmus à da-</i>	
	<i>monibus liberatur.</i>	109
	<i>Cluniacensium precibus Rex Alphonsus è</i>	
	<i>purgatorio ereptus.</i>	132
	<i>Punitio mirabilis falsi testis.</i>	39
	<i>Pœna purgatorij grauis.</i>	124
	<i>E purgatorio vult liberetur Guido petit ab-</i>	
	<i>lata resipisci.</i>	95
	<i>Frater renuit iuuare fratrem in purgato-</i>	
	<i>rio existentem.</i>	100
	<i>E purgatorio Stephanus Abbas precibus</i>	
	<i>petit liberari.</i>	52

INDEX.

In purgatorio existens Bernardus nobis viventium implorat auxilium.	56
Quaestio, cur daemones interdum obijciant hominibus sua scelera.	64
Religionem intrans consequitur remissio- nem peccatorum.	116
Ad religionem quomodo sit conuersus Moneta:	252
Quinq; rosa inuenta in vultu religiosi de- functi.	297
Sacramēta lia nō profunt conscientia ma- nenti in peccato mortali.	20
Schisma in Cluniaco per Pōtiū, qui fuerat Abbas, concitatum.	179
Sapientis sententia notanda.	153
Sobrietas Gerardi monachi.	41
Spes salutis credere, sanctam Mariam Dei genetricem esse.	288
Taciturnitas fratris Benedicti.	84
Testis falsi punitio grauis.	39
Verbi Dei virtus.	252
Visio S. Hugonis.	79
Visio Carthusiani cuiusdam videntis da- monum turbam in specie porcorum.	231
Puero vigilantis visio mirabilis.	221
Visio.	13
Visio consolatoria.	197
Visio Petri venerabilis Abb. Clun.	215
Visio Euguizonis.	218
Visio	218

I N D E X.

Visio Zenonis de Mattheo monacho. 192
Videt Christum eiusq; matrem quidam
Carthusianus. 233
Vnctio extrema. 87

Lib. Coll. sacri Loci Paderb. a. 1611.

Venerabilis Petri Cluniacensis Ab-
batis Libri duo de Miraculis, quę
circa eius tempora contigerunt;
cum miscellaneis quibusdam
hic additis, vtiliter excudentur.
Actum Duaci 22. Iulij. An. 1594.


*Bartholomęus Petrus
Lintrensis.*


F I N I S.


Handwritten text, possibly a title or header, written in a cursive script.


Main body of handwritten text, appearing to be a list or a series of entries, though the characters are difficult to decipher due to fading and bleed-through.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a date or a signature.











Th
4999